



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Opvscvlvm Decimvm. De indiciis & gradibus profectus in virtutibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

N I C O L A I L A N C I C I I

E S O C I E T A T E I E S V O P V S C V L V M S P I R I T V A L E

D E C I M V M,
De iudiciis & gradibus profectus in virtutibus.

I N D E X C A P I T V M

H V I V S O P V S C V L I.

Proemium Opusculi.

De primo gradu spiritualis profectus, sito in diminutione peccatorum. CAP. I.

Quibus modis sint diminuenda peccata. CAP. II.

De secundo gradu spiritualis profectus, qui est, refrenatio inordinatarum passionum. CAP. III.

Quae sint signa & gradus profectus, in moderatione passionum. CAP. IV.

De tertio gradu spiritualis profectus, circa victoriam tentationum. CAP. V.

Notanda quaedam circa tentationes. C. VI.

De quarto gradu spiritualis profectus, sito in extirpatione prauorum habituum. CAP. VII.

De quinto gradu spiritualis profectus, exigente perfectum modum operandi. CAP. VIII.

De sexto gradu spiritualis profectus, qui est, incrementum bonorum habituum. CAP. IX.

Iudicium Plutarchi, de aliis signis profectus in virtutibus. CAP. X.

De rarioribus signis, magni in virtutibus profectus.

profectus. CAP. XI.

De primo gradu profectus spiritualis, Patrum tertij anni, & cuiusvis Religiosi, ac vita spiritualis studiosi, sito in profectu in humilitate. CAP. XII.

De secundo gradu spiritualis profectus eorumdem, exposcente abnegationem omnis amoris sensualis. CAP. XIII.

De tertio gradu spiritualis profectus, eorumdem, posito in abnegatione propria voluntatis. CAP. XIV.

De quarto gradu spiritualis profectus eorumdem, circa abnegationem proprii iudicij. CAP. XV.

De quinto gradu spiritualis profectus, qui est, maior Dei cognitio. CAP. XVI.

De sexto gradu spiritualis profectus: scilicet, maiore Dei amore. CAP. XVII.

Quid praterea in schola affectus, acquirere debeant Patres tertij anni, & alij viri spirituales. CAP. XVIII.

De mediis conducentibus ad magnum in spiritu profectum. CAP. XIX.

De impedimentis spiritualis profectus. CAP. XX.

Index praecipuarum rerum huius Opusculi ponetur in fine totius voluminis.

P R O O E M I V M.

Post explicatas, in aliis Opusculis meis, dispositiones & fundamenta spiritualis in virtutibus profectus. In hoc Opusculo duo suscipi tractanda. Primum, quae sint iudicia, qui gradus, communis omnibus profectus

in virtutibus. Secundum, in quo situs sit proprius spiritualis profectus nostrorum Patrum qui in tertio Probationis anno versantur. Vtilis erit huius vtriusque rei tractatio omnibus cuiusvis status hominibus, ad perfectionem tendentibus. Omnibus enim amatoribus virtutis

perpetuū proficiendam est, quantum est in ip-
 sis, cum ut proficiant Deus non denegat sua eis
 auxilia; sed, ut dixit S. Iohannes Baptista S. Birgit-
 ta, tanquam mater bona, doceat animam proficere in
 meliora. Quod iusti in diuino obsequio feruen-
 tes, generosè conantur. Nam, ut ait S. Bernardus,
 Numquam iustus arbitratur se comprehensisse;
 nunquam dicit, Satus est; semper, esurit sititq, iusti-
 tiam; ita, ut si semper uiueret, semper quantum in se est,
 iustior esse contenderet. Nam semper de bono in melius
 proficere, totis uiribus conatur. Idem ait S. Au-
 gustinus: Quantumcumque hic profecerimus, nemo
 dicat, Sufficit, iustus sum. Qui dixerit, remansit in uia,
 non nouit peruenire: ubi dixit, Sufficit, ibi haesit. Atten-
 dit Apostolum, cui non sufficit: Fratres, inquit, ego me
 non arbitror apprehensisse. Et rursus dicit: Qui putat
 se scire, nondum scit, quemadmodum eum oporteat scire.
 Vnum autem qua retro sunt oblitus, in ea qua ante
 sunt exiens, secundum intentionem sequor, ad palmā
 supernae uocationis.

1. 1.2. Reu. cap. 2.9.
 2. Ep. 253. ad Abb. Guarin.
 In Pl. 69.
 Philip. 8. 1. Cor. 8.
 3. cap. 2.
 Orat. 1. in Iul.
 4. 1.1. diu. nom. 1.4. de c. 6. fol. prof. 3.
 5. In hist. relig. 12. sect. 1. c. 6. vit. S. Fulg. Sur. 1. la. nuar. I. p. e. t. vit. c. 14.

Hoc ipsum, ante hos omnes, docuit S. Dionysius Areopagita, dum libro de Ecclesiastica Hierarchia, in hominibus ad colendam pietatem requirit *ascensiones sacras*: quod fit, per profectum in uirtutibus, quo ad culmen earum ascenditur. Qui quidem ascensus & profectus, deberet esse talis quale describit S. Gregorius Nazianzenus in bonis Religiosis, qui nullum *ascensus & Desicationis modum* (hoc est terminum) agnoscunt.

Utitur eodem loquendi modo etiam S. Dionysius Areopagita, perfectionis studiosos appellans. *Desiformes & se Desicantes*. Merito, quia, ut ait Boetius, *ultra homines prouehere sola prohibita potest*. Talem animae statum, S. Augustinus appellat, sextam & ultimam in hac uita etatem, interioris hominis senectuti correspondentem; esseque ait, *omnimode mutationis, in eternam uitam, & usque ad totam obliuionem uita temporalis, transeuntem in perfectam formam, que facta est ad imaginem & similitudinem Dei*; ad quam, ascendendo de uirtute in uirtutem, peruenitur. Talis erat S. Zeno, laudatus à Theodoro, qui, ut ipse scribit, *semper Dei ascensus in corde disponebat*. Talis & S. Iacobus, ab eodem laudatus, qui in diuinis rebus quotidie crescebat. Talis S. Fulgentius, qui parum patans omne quod faciebat, de die in diem melior fieri gestiebat. Talis fuit S. Pachomius, qui plurimorum Patrum considerans Instituta, dabat semper operam, cum proprio fratre, ad maiora uirtutis augmenta confurgere. Sed maxime hac in re excelluit S. P. Ignatius, de quo rem valde raram narrat testis iuratus Ribadeneira in eius uita; nimirum, quod, *praesentem diem cum hesterno conferens, & cum profectu profectum, longius se quotidie progressum, & ardentioribus in dies inflammatum studiis, reperiabat*. Ita non tantum proficiebat quotidie, sed agnoscebat se profecisse; nec tantum proficiebat in uirtutibus quotidie, sed etiam in feruore spiritus, & modo feruenti exercendi actus

uirtutum. Quod quam magnum & rarum sit, docet experientia, etiam magnum Dei feruorum, & pater ex historicis Ecclesiasticis. Nam, ut ait S. Bernardus, *rarisimo est uisus in terris, qui de gradu, quem in religione semel attigerit, modicum uel parumper ascendit*. Sed Ignatio, inter alios quā plurimos Societatis nostrae homines, P. Petrus Faber imitatus est, qui, ut de eo scribit Nicolaus Orlandinus studebat, nullum omnino diem ducere, sine insigni aliqua progressionē uirtutis: quod, qui ad operandam prostrandamq, salutem uitam largitur ac tempus, ut omnem diem numeret & obseruet nostri progressus. Studiosè tenebat, quod initio dixerat ab Ignatio, ut se identidem obseruaret, & in mores suos, & suas noxas inquireret, & progressionē recognosceret, vniuersi temporis fructus cum aliis temporibus compararet. Quod praecipue curandum censet sub diuinitus Trinitatis solemnia. Ad eam enim omnes referri mysteriorum Christi celebritates, in ea concludi. Initium igitur anni profectus inde sumendum; ibidem proponendos euoluti anni fructus: praefertim labores seruorum Dei ad tendant, ut seipos edificent, in habitaculum ac templum sanctum. ubi SS. ipsa Trinitas, eternam faciat mansionem. Nouo item inueniente anno, dieq, concepti Verbi aeterni, qui fuerit initium Redemptionis humanae, ac ceteris sanctioribus diebus, incipat sese, & nouos capiebat impetus, maxime autem, ubi anniuersarius Religiosae suae professionis uidebat dies. Ita recens semper & integer, (sed tantò robustior quanto uirtus exercendo fit fortior) ad propositum sibi uirtutis apicem contendebat. Et tamen non cessabat suae deplorare, ut appellanti, retrocessionis, atque regressus quos nunquam satis sese deploraturum admemorabat. Hanc perpetui profectus curam, quae in omnibus Dei magnis feruis uiguit, scala Iacob caelos pertingens denotabat, quā S. Gregorius Nyssenus & S. Bernardus aiunt, uitam cum uirtute coniunctam effingi atque efformari. Atque hoc est, *Ascensiones in corde suo disponere, ut ait Dauid*; & de profectus nostri gradibus explicat, S. Bernardus. Hoc est, *ire de uirtute in uirtutem*. Hoc est, *instum iustificari adhuc; & sanctum sanctificari adhuc*. Hoc est, *crescere in salutem, ut monet Petrus*. Hoc est cum Apostolo Paulo, *transformari à claritate in claritatem*. Hoc est, *crescere in illo per omnia, qui est caput, Christus*. Hoc est, *fructificare in omni opere bono*. Hoc est, *in anteriora, seu priora, se extendere*. Hoc est, *renouari de die in diem*. Hoc est, *abundare caritatem magis ac magis, & probare portiora*. Hoc est, *currere ut comprehendamus*. Quod poterat S. Bernardus, ipse, inquit, homini, seculi, auctor, quamdiu cum hominibus conuersatus est, nunquid stetit; & quidem teste Scriptura, *pertransiit benefaciendo & sanando omnes*. Pertransiit ergo, sicut non instructuosè, ita non remisè, non pigre, non lento gradu, sed quemadmodum de eo scriptum est: *Exultauit ut gigas ad currentem uiam*. Porro currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Idem Paulus aiebat: *Sic currite, ut comprehendatis*. Ibi, Christi-

Ep. 2. ad Ric. Ab.
 la. c. 11. d. Cl. ho.
 Co. cap.
 6.
 cap.
 Nyss. de beo. uita. Bernar. ep. 174. c. 1. Cate. pl. 3. 5. Apoc. 11. 1. Pet. 1. Cor. 13. Eph. 4. Coloss. 10. 1. Cor. 16. Philip. 1. Cor. 9. Philip. 9. 10. Ep. 15.

stianē sige tui cursus profectusq; metam, vbi Christus posuit suam. Factus est, inquit, obediens vsque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, si ad mortem non peruenieris, brauium non apprehendes. Brauium Christus est.

8. Pulcherrimum motionis opus est, inquit S. Gregorius Nyllenus, ipsum in bonis incrementum. cum, imperu illo, quo ad melius trahimur, is qui recte mouetur, assidue transfertur ad ea que diuina sunt. Ne quis igitur vim in natura, mutationibus aptam & idoneam cernens, doleat aut conquatur: sed sese in melius promouens. & de gloria in gloriam transfrens quotidiani incrementis, ita vertatur, vt in dies melior ac perfectior fiat. Quod si quis neglexerit, inquit Abbas Theodorus apud Cassianum, consequens est, vt retrocedat, atque in deterius relabatur. Et idcirco nullo modo mens poterit, in vna eademq; qualitate durare. Velut si quis contra aquas violenti fluminis, nauem subigere remorum impulsione conetur, necesse est eum, aut virtute brachiorum, torrentis alui impetum descantem, ad superiora conscendere, aut remissa manibus, ad preceps prostrato amne renouari. Quapropter, istud erit euadens, nostri indicium detrimenti, si intellexerimus, nos nihil amplius acquisuisse. Nec dubitemus, retrorsum nos omnimodo renouatos, qua die non senserimus ad superiora progressos: quia, vt dixi, nec in eodem statu mens hominis potest ingiter permanere, nec in hac carne consistens ita virtutum apicem possidebit, quisquis ille Sanctorum, vt immobilis perseveret. Vnde Tertullianus in Scorpiano Christianos monet, vt nitantur ascendere, exemplo mundanorum, quorum terrena officia, in gradu stant; hoc est, non possunt vilo aliquo in gradu quiescere. Porro Religiosi non modice, sed amplē debent crescere, in profectu virtutum. Nā, vt ait Cassiodorus, non est nobis crescendi hic ordo, qui multis est; paulatim prouehi, mediocriter probatur esse virtutis. Hoc Cassiodorus de honorato & patricio viro scribit; quid de Religiosis dicendum qui semper debent proficere, iuxta illud Prouerbiorum: Instorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit, vsque ad perfectum diem, qui erit, in altera vita. Quasi enim per quamdam diem, Sancti incedere, est mente ire semper ad meliora, inquit S. Gregorius. Vnde fit, vt sicut vita eorum crescit accessione annorum, sic illi accessione virtutum, & perpetuo profecta crescant in spirita.

11. Electis enim, vt ait idem S. Gregorius Papa, cum foris atas corporis, intus, si dicit licet, crescit atas virtutis. Ideo iustus comparatur cedro Libani; quia, vt ait Apponius, Cedrus semper fertur crescere, nec aliquando ire in senectam. Tales esse nos decet. Nam, vt docet S. Chryostomus, Qui Christum sequuntur, eos nunquam fas est descendere, sed semper ascendere. Inquietum quiddam natura virtus est, inquit S. Theodorus Studita, que haud cessat, quin praedictos se in melius prouehat semper.

11. Errarunt ergo Stoici, vt est apud Ciceronem & Laetium, & cum illis Seneca, dum asserunt

virtutem non posse crescere, & fieri maiorem. Errauit & Seneca, dicens, posse in hac vita ita perueniri ad summum virtutis, vt non sit incrementum locus. Errarunt praeterea Stoici, qui, vt scribit S. Augustinus, eos qui in virtute proficiunt & sapientia, nec virtutem nec sapientiam habere, sed tunc solummodo, cum omnino perfecti in ea fuerint, cenlebant. Quemadmodum enim paucorum annorum arbor, & puer, est verissima arbor, ac homo, non minus quam multorum annorum spatio maturatus; ita & crescens virtus, atque ad altiora se protendens semper, vera, cessi non ita perfecta, vt in viris perfectis est, virtutis appellationem meretur.

Alterum, quod in hoc Opusculo tractabo, est, in quo situs sit profectus proprius Patrum, qui, iuxta praescriptum legum Societatis nostra, in tertio probationis anno versantur: quibus tradenda hoc loco a me doctrina, aliis quoque omnibus, perfectioni acquirenda deditis, erit vilis. Conemur igitur semper proficere. Alioqui magna esset confusio eius, coram Deo saltem, qui non profecisset, tot mediis ad profectum instructus. Miserum est, inquit Ioannes Abbas apud Cassianum, cuiuslibet artis & studij disciplinam quempiam profiteri, & ad perfectionem eius minime peruenire. Quam perfectionem, vt ait Abbas Paphnutius apud Cassianum, nullo modo poterimus attingere, si eam vel ignorauerimus, vel scietes non contenderimus opere consummare. Nam ex ignoracione eorum que ad profectum spiritualem requiruntur, sequitur id quod in ignoracione formulæ orandi contingere docet Abbas Germanus apud Cassianum, vt hac ignoracione mens praepedita, errabunda semper, & velut ebria, per diuersa iactetur; & ne illud quidem, quod casu potius, quam industria, sibi occurrit spirituale, diu ac firmiter teneat; dum aliud ex alio semper recipiens, sicut introitus eorum atque principia, ita etiam finem, discessumq; non sentit. Merito ergo S. Valerianus scribens ad Monachos (quod etiam omnibus spiritualis vitae amatoribus congruit) Gemina, inquit, vobis ratio adhibenda obseruationis incumbit: sciendi cura, cum labore complendi. Quoniam ea que in diuini eloquii percipiuntur, non solum non facere, sed etiam ignorare, peccatum est. Explicanda sunt ergo ea que ad profectum spiritus requiruntur, per quem, vt idem Abbas loquitur, ad perfectionis fastigia summa & culmina peruenimus.

Gradus quosdam firmisimos, & lapidibus pretiosis sternit quodammodo, Dominus Saluator, inquit S. Chromatius Episcopus, per quos sancta anima & fideles reperere possint, & ascendere ad summum illud bonum, id est, regnum calorum. Quod cum omnibus virtutum studiosis, tum maxime nostrae Societatis hominibus curandum est, quibus haec a S. Ignatio Fundatore praescripta est Regula, vt curent semper, (scu, vt est in textu Hispanico, ad elante, hoc est, ulterius, vel in dies magis, ac magis,) in via Diuini seruitij progressum facere.

ser. 108. Cic. 5. de finib & parad. 3. Sen. ep. 66. & 71. Sen. ep. 79.

12.

13.

Coll. 19. c. 5. fin.

Coll. 3. c. 3. fin.

Coll. 10. c. 7. fin.

14.

Epist ad Mouach.

Coll. 7. cap. 5.

15.

Con. 1. in 8. beat.

3. par. Const. c. 1. §. 10.



cere. Quocirca ostendendi sunt hi gradus, per quos proficientes in virtutibus, ascendunt, & ad altissimum in celo locum perueniunt, prius in hac vita summos virtutum apices consecuti.

CAPVT PRIMVM.

De primo gradu spiritualis profectus, fito in diminutione peccatorum.

16. PRIMUS gradus spectans ad profectum spiritus, communis omnibus, est diminutio malorum. Nam, ut ait S. Basilius, *Principium profectus est digressus à malo.* Quemadmodum enim in productione rerum naturalium, præcedit corruptio vnius rei, & sequitur alterius generatio; vnde est illud dictum Aristotelis, & omnium Philosophorum: *Generatio vnius est corruptio alterius;* & inter principia productionis primum est priuatio formæ præteritæ, quæ corrumpitur; sic in productione morali perfectionis Euangelicæ, hoc est veluti fundamentum, fidelium Deo placere & proficere cupientium, ut iuxta Psalmum, *declinent à malo, & faciant bonum.* Quia, ut ait S. Ambrosius, *Initium bonorum, est abstinentia malorum;* idque probat loco Psalmi citato. Quin & Galenus docet, *Omnia planè superuacanea esse, nisi ad hoc vnum referantur, ut se quis à peccatis longissime abducatur.* Porro mala nostra, à quibus diuerso modo abstinere debemus, multa sunt, & quæ, ut notat Abbas Nestero apud Cassianum, illà Ieremia sententiâ docemur: *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, ut euellas, & destruas, & disperdas, & dissipas.* In expulsione enim noxiarum rerum, quatuor esse necessaria designauit, id est, euellere, destruere, dissipare, dissipare. Sic Boëtius: *Qui serere ingenuum volet agrum, Liberat arua prius fructibus, Falce rubos silicemq, resecat, Ut noua fruge grauis Ceres eat.*
- In Ps. 61. *Impossibile est, inquit S. Basilius, ut capaces diuine gratiæ reddamur, (ad profectum necessariæ) nisi perturbationes & vitia nostras animas possidentia prius euicamus. Vidi ego medicos non prius medicinas salutare dare, quam vomitu materiam illam morbi causam euacuassent, quam ex mala diæta genere, homines intemperantes sibi ipsi creauerant. Sed & vas, quod humore quopiam odoris retri & graueolenti præoccupatum fuerit atque imbutum, nisi id elueris diligenter, odorati cuiuspiam vnguenti influxum neutiquam poterit recipere. Opus itaque ea quæ prius insunt effundere, ut eorum fiat capax, quæ immittere constituisi.*
- h. 15. fin. *Illustrat hoc ipsum aliâ similitudine S. Macarius: Cum quispiam, inquit, desertam ciuitatem inaurare desiderat, in primis ea, quæ labuntur & ruit, prorsus destruit, & ita fodere incipit, & in loco defosso fundamenta ponere, ac tum adificium collocare, nec mox constituitur domus. Eadem ratione, qui desiderat*

in locis desertis ac fetidis, hortum construere, primum incipit purgare, claudere, ductus aqua preparare, tum plantas, & clementum capiunt quæ plantata sunt, ut hoc modo, multo post tempore, horum fructus profertur. Ita voluntates hominum, post transgressionem, inculcæ sunt, & deserta, ac spinosa. Dixit enim Deus homini: *Spinæ & tribulos terra tibi producet. Multum igitur laboris ac diligentia adhibendum, ut quis peruestiget & collocet fundamentum.*

Fundamentum autem est, ablatio multorum malorum, quæ profectum impediunt. Hæc autem mala, videntur ad quatuor capita posse reduci, quæ recenset S. Bernardus; scilicet, *Vitium, Tentatio, inueterata passio, imminens periculum, & laqueus insidians diaboli,* qui per tentationes prauas, in passionibus excitatas, & per admitticulum prauorum habituum, expanditur. Inter mala ergo diminuenda vel abolenda,

Primò, sunt peccata. Hæc enim sunt omnium maxima mala, nihil in se boni habentia; deo que peccatorum Deus causa esse non potest, ut est pœnarum. Hinc S. Dionysius ait, *Puniri non esse malum, sed fieri pœnâ dignum:* quod prouenit ex peccato. Et idè S. Thomas ait, *plus habere de ratione mali culpam, quàm pœnam.* Imò peccata sola, sunt propriè mala. Nam, ut ait Abbas Theodorus apud Cassianum, *In rebus humanis, nihil malum dicendum est, nisi peccatum solum; quod à bono Deo nos separans, malo facit diabolo copulari.* Quin & Cicero, solo naturalis rationis ductu, scripsit, sapientem, in aduersis casibus, hoc etiam se solari: *quod videt, nullum malum esse nisi culpam.*

Hæc ergo mala, primum sunt euellenda ei, qui profectui spirituali, in acquirendis virtutibus, est intentus: *Expulsione enim vitiorum, virtutes fructificant & succrescunt;* inquit Cassianus. Et, ut scribit S. Bernardus, *Non potest virtus pariter cum vitio crescere. Ergo, ut illa vigeat, ista crescere non sistantur.* Et quò magis hæc decreuerint, eò magis crescent illæ. *Quantum enim à vitio recesseris, inquit, Eusebius Emisenus, tantum virtutibus propinquabis; quia abdicatio criminum, adeptio meritum est; nec tantum meritum, sed etiam ipsarum virtutum.* Quia experimento comprobant Dei serui, verum esse nostri S. Francisci Xauercij dictum: *Quantacumque decessio à vitio, tanta est accessio celestium donorum.*

Huic ergo primum attendendum est omnibus, proficere cupientibus, imò omnibus protus Christianis. Nam, ut monet S. Macarius, *nisi quis bellum ineat aduersus peccatum, vitium, quod intrinsecus latebat, paulatim effusum, præ nimia copiâ, abducit hominem ad manifesta peccata perpetranda.* Vitium enim est, veluti fontis scaturigo, quacumque parte scaturiens. Quapropter dare debes operam, ut cohibeas vitiosos nequitia, ne ruens in mala infinita, quasi attonitus euadas. Riuis autem peccatorum impleta anima, tanquam demersa in paludosa aquâ, emergere in altum non potest, ac proficere. Explicauit hoc Filius Dei S. Birgitta aliâ similitudine:

Da-

l. i. Recu. cap. 41. Da stylus mirifici odoris est, & in fructu eius lapis. Si ponitur in pingui terra, pinguescit, & fructificat, & crescit in magnam arborem: si autem ponitur in arida terra, arefcit. Arida est nimis illa terra à bono, quæ delectatur in peccato. In quâ si semen virtutum seritur, non pinguescit. Pinguis autem est terra, mentis illius, qui agnoscit peccatum, & gemit se peccasse. Quocirca S. Teresa, ostendens suis monialibus, viam perfectionis, eas præmonuit: Primum huius fabrica lapidem bonam esse debere conscientiam, & omnibus vos viribus conuicti oportere, vt puram, etiam à venialibus, habeatis conscientiam; & semper quod perfectissimum est, sectemini. In hoc quippe omne nostrum bonum fitum est, vt veram lucem habeamus, ad Dei legem quàm perfectissimè obseruandam. Tali basi optime superstruitur oratio, & sine foris ac solido hoc fundamento, omnis superstructio collabatur. Ideò Abbas Agathon monebat: Non debere monachum permittere conscientia sua, vt eum accuset in quacumque re. Quin & Plutarchus in fine Opusculi, cui titulum indidit, Quomodò quis suos in virtute paranda sentire possit profectus, id quoque, inquit, si lubet, ad prædicta adiunge signum non exiguum, quòd rectè proficiens, nullum iam peccatum exiguum putat, sed omnia studiosè vitat atque obseruat. Sicut enim, qui diuites se fore desperant, paruos sumptus facere, pro nihilo habent, quòd nihil magni futurum putant, si paruum paruo adiciatur: spes autè ad finem propius accedens, simul cum diuitiis auget diuitiarum amorem; ita & in rebus ad virtutem pertinentibus, qui non multa concepat, neque dicit, Quid tum postea modò sic, modò aliàs melius: sed singulis intentus, vbi vel minimo peccato, vitium se insinuans, venia locum dare videtur, agrè fert, & indignatur, manifestum facit, se purum aliquid sibi iam comparasse, quod inquinare nullo modo velit. Quare dubitandum non est, primam profectus nostri examen inchoandum esse à profectus, circa diminutionem peccatorum: sine quibus etsi hæc vita esse nequeat (quicquid delirauerit Pelagius, ab Ecclesiâ etiam ob id damnatus, & prius à S. Ioanne) tamen conari debemus, vt quàm minimè, & quàm ratissimè peccemus. Ideoque S. Dionysius, inter alia, à Christo ad imitationem nostram proposita, ait esse eius ἀνεμαρτία, id est, impeccantiam. Et quòd Tertullianus ad Scapulam, de Christianis omnibus ait: Non aliunde noscibilior, quàm de emendatione pristiorum vitiorum; id multò magis melioribus Christianis (vbi sunt vitæ spiritali intenti) si proficere volunt, curandum est; vt ab omnibus peccatis, etiam minimis, tamquàm à facie colubri, fugiant, etsi ab omnibus prorsus liberi esse nequeant. Nam, vt apud Laërtium sapienter aiebat Crates, fieri non potest, vt quis à lapsu & errato sit semper immunis, sed tamquàm in malo punico, granum inest aliquod putridum; ita vita nostra sine næuo non ducitur, alicuius venialis peccati. Quamuis in hoc sacculo, magnâ iustitia quisque claritate resplendeat, inquit S. Hieronymus Hispalensis, numquam tamen ad

19. c. f. viz profect.

20. Ruff. li. 3. num. 161.

21. 1. Io. 1. 8. Conc. Mileu. c. 7. & 8. Trid. sess. 6. cap. 11. c. j. Eccl. hier.

22. l. 2. senz. cap. 18.

puram peccatorum sordibus caret; Ioanne attestante, qui ait: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. De solis ergo venialibus peccatis, quibus omnes sumus obnoxij hic agam, non de mortalibus, sine quibus, Dei beneficio, viuunt ij, in quorum gratiam, mea Opuscula seribo, & quia venialibus quoque quantum possunt abstinerere conantur. Nam, vt ait S. Augustinus, Qui ad perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, ipsa etiam peccata venialia non negligi mundare. Cæterum peccata mortalia, vt ait Origenes, Non sunt peccata fratris, id est, non decent Christianos, multò minus, perfectiores Religiosos. Porro circa euulsionem peccatorum venialium, profectus sic cognoscitur in Dei seruo.

Primò, si numquam cum plenâ deliberatione Deum offendit: sed sicut monet Apostolus, seruat mandatum, sine maculâ, irreprehensibile, vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi, quod sine deliberatâ peccati maculâ, tamdiu potest seruari; sine omni indeliberatâ, non potest. Peccatum deliberatum pulchrè explicat S. Teresa, in Itinere perfectionis. Hoc peccatum præcogitatum, & magnâ cum deliberatione factum, videtur, tamquàm si peccans diceret: Domine, quamuis tibi displiceat, nihilominus id ipsum committam. Iam tum scio id te videre, & noui id te nolle, tamen meam potius voluntatem & appetitum sequi, quàm tuam volo. Et huiusmodi casum, paruum quid esse dicere quis audebit? Equidem non leuem culpam id esse reputo, sed magnam, & valdè quidem magnam. Merito ergo S. Bernardus: Discite, inquit, fratres, iustum iudicem Deum, non modò quid fiat, sed quomodò fiat, considerate: & caute deinceps, ne quis parua reputet, quamlibet parua, si scienter delinquere conuincatur. Nemo dicat in corde suo, Leuia sunt ista, non curo corrigere; non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisq; peccatis. Hac enim, dilectissimi, impenitentia; hac blasphemia in Spiritum sanctum; hac blasphemia irreuersibilis. Non sumus ergo è numero istorum, sed potius tales sumus, quales describit Deus ipse, S. Birgitam instruens: Sunt, inquit, qui plus timent peccare, & offendere voluntatem meam, quàm de aliquâ penâ: magisq; cruciarentur in æternum penâ intolerabili, quàm me prouocarent scienter ad iram. Hi dabitur tribulatio cordis, & corporis, vt Petro, & Paulo, alijsq; Sanctis: vt quicquid in hoc mundo deliquerint, in mûdo emendent: vel ad maiorem gloriam, & aliorum exemplum, purgantur ad tempus. Tu nullum peccatum puta leue, nullum negligendum. Tales imitantur, serui Dei feruentes. Nam, vt scribit S. Diadochus: Anima si ardorem ex cupiditate mundi collectum, studiosè resinxerit, etiam valdè parua errata pro grauissimis ducit. Merito; quia, vt ait S. Hieronymus, Sanè nescimus, an possimus aliquid leue peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur: maxime si plenâ deliberatione admittatur, non ex metâ inconsideratione & subreptione. Quis enim ferat filium, inquit P. Claudius olim noster Præpositus

23. de perf. iust. c. 9.

lib. 6. in Math.

24. 1. Tim. 6. 15.

cap. 41.

25. serm. 1. in Conuerf. Pauli.

26. l. 1. c. 14. l. 1. c. 36.

27. l. de perf. cap. 27.

Ep. 14. ad Celan.

Indostr. c. 11. n. 6.

tus

tus Generalis, dicentem: Reuerà diligo patrem, sed
 citra lethalia vulnera & mortem: quicquid illi iniu-
 riarum, & molestiarum inferre poterò, faciam omnia
 sine respectu vllò, & liberrimè; nec tantillum curo,
 magis an minus ei placeam: modò me hereditate non
 priuet, vel mortè puniat. Sed efficacius grauitatem
 peccati deliberatione plenà committi exprimit
 S. Macarius: Sicut in rebus ob oculos positis, si mere-
 trix quapiam seipsam turpiter prostituat; ita etiam
 anima, que cuiuscumq; demoni se tradidit, corrumpitur ab
 ipsi spiritibus. Quando quidem sunt, qui peccato vi-
 tiosè laborant ex proposito, quidam autem prater pro-
 positum. Quid verò sibi volumus ista: Ex proposito vitiosi
 sunt hi, qui suam ipsorum voluntatem vitio tradide-
 runt; delectantur cum illo, amicitiamq; contrahunt.
 Huiusmodi cum satana pacem habent: nec in cogitatio-
 nibus bellum gerunt cum diabolo. Immodò tales, ait S.
 Chrysostomus, demonum appellationem mere-
 ri: Qui volens deliquit, vel sponte furit, demon est;
 propterea, neque veniam ab hominibus neque miseri-
 cordiam promeretur. Ideò B. Catharina Genuen-
 sis, ne quidem imaginari poterat, sponte propria ali-
 quem delinquere, prateritum lethaliter. Quòd si fortè in
 oculos quippiam incurrisset, nullam peccati excusatio-
 nem admittens, non tamen capere potuit, hominem ex
 malitia peccare. Quemadmodum enim peccati enor-
 mitatem habebat perspectam, vt potius se in minimas
 particulas discindi permisisset, quàm aliquod perpe-
 trasset, ita persuadere sibi non poterat, aliter se rem ha-
 bere cum proximo suo, existimans alios tanti Deum
 facere, quanti faciebat ipsa. Vnde peccatum non modò
 approbare non potuit, sed ne cogitare quidem reperiri
 tam malum, qui secus esset affectus.

hom. 27. int.

28. tom. 1. ser. de Canticis Davidis. c. 28. virg.

29. c. 9. eius vitæ.

1. 4. reuel. 6. 7. 4.

30. 3. p. paul. cap. 4. l.

h. 87. in Martii.

2. 1. 110.

piloquium, à turpiloquio, operatio turpis profecta est,
 &c. sic à minimis ad maxima gradatim diabo-
 lus ducit.

Tertio, profecit is, qui nec leuiter venialiter
 peccat contra multas species venialium. Hoc
 summo conatu procurant magni serui Dei, id-
 eoque eorum generales totius anni confessio-
 nes, solo numero maiore peccatorum diffe-
 runt, circa illas peccatorum venialium species,
 de quibus se accusant in confessionibus parti-
 cularibus hebdomadatis. Quod memini me
 audiuisse, etiam à Paulo Cicotto, nostro fratre
 Coadiutore (sancto omnino, & cum magnà
 sanctitatis opinione, in qua semper Romæ vi-
 xit, etiam ibidem mortuo) qui suam confessio-
 nem generalem annuam, quam ex præscripto
 regularum, vt Coadiutor formatus, quotannis
 faciebat, mihi dixit, non differre ab hebdoma-
 datariâ, nec plurimum specierum peccata continere.
 Idem de ei similibus scio, ex confessionibus
 eorum. Peccata enim venialia, etsi ex suo ge-
 nere leuia sint, tamen ad mortalia disponunt.
 Ideò cum in hac vitâ omnino ab his liberi esse
 non possimus, saltem procurandum est ne mul-
 tis speciebus eorum facdemur; & paucissimas
 habeamus species dispositionum ad peccata
 mortalia, quæ sunt mors animæ inferri solita
 per multitudinem venialium, tamquam mor-
 borum acutorum disponentium ad illa, factò
 initio à leuioribus. In vnâ siquidem malignitatè
 carenâ, inquit B. Laurentius Iustinianus, conside-
 rata sunt vitia, in animarum ruinam, ab immundis
 spiritibus fabricatâ atque contextâ. Quòd autem ad
 hoc disponant, patet experientiâ in multis; &
 docet S. Thomas: Sicut accidens, inquit, potest esse
 dispositio ad formam substantialem, ita & peccatum
 veniale ad mortale. Et in respon. ad tertium: Pec-
 catum, inquit, veniale per se disponit ad mortale,
 quod in corpore articuli probat. Idem docet
 alii in locis. Porro peccatum veniale ad mor-
 tale disponit, inquit idem S. Thomas: Primò ex
 parte agentis: augmentatâ enim dispositione, vel habi-
 tu, per actus venialium peccatorum, in tantum potest
 libido peccandi crescere, quòd ille qui peccat finem suum
 constituat in peccato veniali. Nam vniciquique habenti
 habitum, in quantum huiusmodi finis est operatio, se-
 cundum habitum, & sic multoties peccando venialiter,
 disponitur ad peccatum mortale. Alio modo, peccatum
 veniale ex genere, remouendo prohibens, potest disponere
 ad mortale. Qui enim peccat venialiter, ex genere, pre-
 termittit aliquem ordinem: & ex hoc, quòd consuecit
 voluntatem suam in minoribus, debito ordini non subit-
 cere, disponitur ad hoc, quòd etiam voluntatem suam
 non subiciat ordini vltimi finis, eligendo id, quòd est
 peccatum mortale ex genere. Ideò, inquit Cæretanus
 ibidem, à venialium consuetudine cauendum est, ne
 habituatè in illis, occurrentes tentationes animos dis-
 positivos propinquè ad mortale inueniant. Quâ de re
 sic S. Augustinus: Dum homines negligentes despræ-
 ciunt peccata sua, quia parua sunt, crescentibus minutis compo-
 nuntur peccata.

1. 1. cap.

1. 3. c.

cap.

hom. Nu.

tr. 4. loc.

3. d. c. 1. cor.

sec. 87. peccata.

peccatis adduntur etiam crimina. & cumulum faciunt, & demergunt. Est hæc poena peccati: ut enim bene dicit S. Ildorus Hispalensis: iudicio diuino, in reatum nequius labuntur, qui distringere sua facta minora contemnunt; eod quod per minora disponunt, & veluti manu ducuntur ad maiora. Confirmat hanc veritatem Deus ipse, S. Teresie, sanctissimæ & sapientissimæ Virgini, quæ, etsi nullum totâ vitâ suâ prorsus peccatum mortale admiserit, & baptismi gratiam inuiolatam conseruauerit, teste Didaco Yepeso, Archiepiscopo Turiasonensi, eius Confessario in eius vitâ; tamen hæc purissima Virgo vidit, Deo ipso reuelante, præparatum sibi in inferno locum, ut ipsamet scribit in vitâ suâ cap. 32. Cuius rei nulla alia causa esse potest, quàm contemptus quorundam venialium peccatorum, quibus initio spiritualis suæ vitæ erat dedita, quæ, si, ut cœperat, continuasset, (decepta à quibusdam ignaris rerum Confessariis, nullum ob ea serupulum iniicientibus) delapsa fuisset in peccata mortalia, & ad illum in inferno locum sibi diuinitus ostensum peruenisset, tamquam per dispositiones peccatorum venialium, deducta ad mortalia. Ideo describens postea hunc suum errorem, scilicet parui facienti quædam peccata venialia, quæ quidam rudes Confessarii ei dicebant non esse peccata, sic in vitâ suâ scribit: Mansi in hac cecitate credo plus quàm septemdecim annis, donec quidam Pater Dominicanus, valde doctus, mihi aperuit oculos in aliquibus rebus: & illi ex Societate Iesv totaliter mihi incusserunt tantum timorem aggrauando aded mea mala principia sicut postea dicam, &c. Verè ergo venialia valde disponunt ad mortalia. Aliter, & appositè, Origenes ostendit, quomodo peccata disponant ad mortem. Anima, inquit, quoties peccat, toties vulneratur. O si posses per unum quodque peccatum videre, quomodo homo noster interior asidue vulneretur! vulneratur per linguam anima, vulneratur & per cogitationes, & per concupiscentias malas. Quæ si omnia videre posses, & vulnerata anima cicatrices, certum est quòd vsque ad mortem resisteremus aduersum peccatum. Sicut ergo multa vulnera disponunt ad mortem corporis, sic multa venialia peccata ad animæ mortem, quæ est quoduis mortale peccatum. Vita carnis tuæ anima est, inquit S. Augustinus, vita anima tuæ Deus est. Quomodo moritur caro amissa anima, quæ vita est eius; sic moritur anima amissa Deo, qui vita est eius. Deus autem amittitur per quoduis peccatum mortale. Ne ergo in hoc prolabamur, abstineamus quantum possumus cum diuinâ gratiâ à venialibus, ad id sensim disponentibus. Quocirca S. Barlaam, præscribens S. Iosaphat, à se baptizato, normam viuendi & conseruandi integrè gratiam in baptismo receptam, monet inter alia, vt paruis peccatis aditum in animam præcludat. Ob id enim, inquit, maiora peccata quotidie ad nos aditum habent, atque in animas nostras imperium obtinent, quoniam iis quæ minora esse videntur,

consentanea correctio minime adhibetur. Vt enim in corporibus quæ parua vulnera negligunt, saniem plerumque ac mortem sibiipsis accersunt, ad eundem modum etiam in animis hoc vsu venit, vt qui minima vitia ac peccata nihili pendunt, grauiora sibi inuehant. Quatenus autem grauiora peccata ipsi oboriuntur, contracto tandem habitu, anima in contemptum cadit. Impius enim, inquit ille, cum in profundum venerit, contemnit. Ac deinceps, vt sus in ceno volutari gaudet, sic etiam anima illa praua consuetudini immerisa, ne peccatorum quidem factorem sentit, verum potius ipsis gaudet & oblectatur: vitiumq, inflat boni cuiuspiam arctissime retinet. Atque vt etiam aliquando recepta meliori mente, scelerum suorum sensu afficiatur, non tamen sine magno labore ac sudore, à prauâ consuetudine, cui vltro ac sponte se in seruitutem addaxit, liberatur. Ita à paruis malorum exiguarum initus, ad maiora delabimur. Malum enim, vt ait S. Dionysius Arcopagita, cum sit defectio à bono, suâ infirmitate & pondere, semper ad aliud & aliud malum progreditur. Sed hoc mirabilis est, id etiam ab Ethnico Aristotele agnitum: qui cum dixisset, In principio peccatum consistere, (hoc est, dum ei non resistitur primâ facie) ostendit exemplis, multa & grauissima mala enasci ex paruis. Et ad conseruandam Remp. hoc in primis dat monitum: In rem etiam paruum intendere, paruum custodire. Idèd S. Gregorius Papa ait: Nonnumquam de terius in parua, quàm in magnâ culpâ peccatur. Maior enim quò citius agnoscitur, eò etiam celerius emendatur: minor verò, dum quasi nulla creditur, eò pesus, quò & securius in vsu retinetur.

Quartò, profectus signum est, si nec contra paticas species venialium, sepe delinquit, sed rarissime; quia, vt ait S. P. N. Ignatius, par est diminiui in dies, errorum numerum. Sed dices, inquit S. Augustinus: Peccatum quidem est, sed paruum est. Nec nos dicimus, quia capitale est peccatum; sed tamen si frequentius exerceatur, & ieiunius atque elemosinis non redimatur, nimis immundam animam facit. Aliud motiuum, ad diminuendum in dies peccatorum venialium numerum, tradit S. Thomas: Debet, inquit, habere propositum, se preparandi ad peccata venialia minuenda: alioquin esset ei periculum descendi, cum desereret appetitum proficendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia. Deinde, cum quodlibet peccatum veniale sit dispositio ad mortale, vt vidimus, multa venialia id magis efficiunt: idèd danda est opera, ne sæpe committantur. Nam frequentia, etsi non per se sola, tamen per mortalia, quæ adducunt, occidunt spiritualiter. Hinc S. Augustinus dicit: Multa venialia peccata, non secus occidere animam, quàm vnum mortale; vt exponit S. Thomas. Per frequentia enim venialia, concupiscentia, & habitus prauis robotantur, in mali consuetudine, cui resistere difficillimum. Idèd S. Gregorius bene monet: Minuta sunt, quæ erumpunt in membris per scabiem, vulnera, sed cum multitudo eorum innumerabiliter occupat, sic vitam corporis, sicut vnum Plat. 66.

13. l. 1. sent. cap. 19.

13. cap. 1.

cap. 5.

34. hom. 3. in Num.

35. tr. 47. in Ioan.

8 Dam. e. 19. vitæ corum.

Prou. 8. 1. Pet. 2. c. 4. diu. nom.

1. 7. polit. cap. 5.

36. 3. p. past. adiu. 34.

37. Add. 4. Exam. particul. ser. 244. de tem.

3 p 4. 7. a. 1. ad 1.

Tr. 11. in Ioa. & tr. in Epist. 38. Ioa. & Ep. 108. & ser. 41. de SS. & l. 1. 1. hom. 42. c. 9. & h. 10. c. 8. & in Pl. 118. 93 & in vnum Plat. 66.

S. Th. 1. 2. vnum graue infectum pectore vulnus, necat. Et S. Hilarius: Periculose sunt iam robuste cupiditates, & difficulter adulta quaque perimuntur. At, etiam non adulta peccata, si multa sint, valde maculant animam, spiritualis profectus auident, & veluti agonizare compellunt. Idem monet S. Gregorius: Admonendi sunt, qui quamuis in minimis, sed tamen frequenter, excedunt, vt nequaquam considerent qualia, sed quanta committunt. Facta enim sua si despiciunt timere, dum pensant, debent formidare cum numerant. Hoc autem maxime curandum est Sacerdotibus, & Religiosis, quos Deus in statu digniore collocavit. Nam, vt ait S. Bernardus, quod nitidiores manus, eod grauius quiuis minor neuis in eis offendit: & sicut pretiosam vestem exigua quauis macula turpius decolorat, nobis ad immunditiam minima qualibet inobedientia sufficit: nec iam neuis est, sed grauis macula, si in actionibus nostris vel minorum refidet negligentia mandatorum. Ne ergo multae & frequentes sint haec maculae, curandum est ei qui proficere satagit. Idem Apostolus scripsit Corinthiis: Oramus Deum, vt nihil mali faciatis; optans vt ne semel quidem peccarent. Nihil enim mali, omnia prorsus peccata excludit. Porro, an, & per quae media, Deus praestet seruis nonnullis suis, vt raro labantur in peccata venialia, dixi in Opusculo primo de gradibus puritatis: vbi certissimis exemplis demonstravi, magnos Dei seruos, singulari Dei gratia rarissime committere venialia peccata, & ab iis per longa temporum spatia prorsus abstinere, vsque adeo, vt ne semel quidem per plures menses, in vllum veniale peccatum labantur: tum quia summo conantur studio, purissimum, pro habitaculo gratiae Spiritui sancto, conseruare animum, & corpus immaculatum: scientes cum S. Bernardo, prorsus displicere in pulchro corpore, non solum morbum, sed & nauum: tum quia horrent omnem offensam infinitae bonitatis diuinae, quam tenerissime reuerentur & amant, ideoque iuxta S. Hieronymi consilium, minima quaque pro maximis cauent: tum quia metuunt, ne frequentia leuium peccatorum ad grauiora perueniant, edocti multorum infelici lapsu, qui, vt docet S. Chrysostomus, per parua desideria redditi, nec recolentes, dum ea contemunt, ad expulsionem eorum generose consurgere, citò in eis ex paruis maxima fiunt: tum quia, vt ait S. Isidorus, peccata leuia, quae ab incipientibus quotidiana satisfactione purgantur, à perfectis viris, (quos fideles Dei serui & seruantes imitari quam maxime student) velut magna crimina evitantur, tum quia, ex altissimae perfectionis desiderio assiduo (quod in antiquis Sanctis commendat Theodoretus) in corpore mortali & patibili, incorpoream emulantur naturam: & per imitationem eius, quae in caelo est, viuendi rationis, summam Sanctorum emulati philosophiam (hoc est, perfectionem) omnem eorum virtutem exprimunt, & non arae & literis illam insculpunt memoriam, sed quasdam eorum animarum imagines, & statuas se ipsos efficiunt.

Cum ergo in caelo sint Sancti sine macula & ruga, Christi beneficio, hoc ipsum exacti imitatores, etiam in hac vita, pro Dei maiore gloria emulantur, ac proinde rarissime peccant.

Quin, profectus signum est in eo, qui etiam leuia, quae periculosa sunt, numquam committit, vt sunt cogitationes impurae, aspectus curiosi feminarum, ac formosorum, & turpium picturarum, lectiones curiosae rerum saecularum, à quibus facilis est ad grauiora progressus. *Omni turpem concupiscentiam*, inquit S. Ammon Abbas apud S. Ephraem, ac voluptatem carnalem, etiam minimam deserere, caueat, aspectum hominis nisi necesse sit. Pulchre hanc rem commendat S. Macarius: Si fuerit hortus arboribus fructiferis, & aliis bene olentibus plantis, confusus, & per omnia bene excultus & exornatus, qui etiam sit munitus exiguo pariete, pro septo & vallo: iuxta quem contingat flumen rapidum transcurrere; licet aqua modica illud parietem, corrumpit fundamentum, sumis educationem, & paulatim fundamentum dissoluit, & ingreditur, effringit & extirpat omnes plantas, vniuersam culturam delet, & fructibus ferendis inuicem reddit; ita se habet cor hominis, quod non caret cogitationibus inbonis, quae instant cordi tanquam vitiorum fluij, volentes illud diruere, & sibi vendicare. Itaque si leuis fuerit paululum animus, & labatur in cogitationes impuras, en spiritus erroris, pabulum acceperunt, & ingressi euerterunt quae illic splendebant, delectatque, probis cogitationibus, animam desertam reddiderunt. Quo autem modo possit vna parua & leuis & non diu durans, sed voluntarie accersita, impura cogitatio, aded nocere animae, & tam multa (vti saepe contingit, cum maximam Dei iniuriam & animarum ingenti damno) tam, inquam, multa mala inuehere in animam, sic S. Macarius statim ostendit apta similitudine. Sicut, inquit, oculus, omnium corporis partium est minimus, & ipsa pupilla oculi, cum sit exigua, tamen est vas ingens, quoniam intuetur vna, calum, astra, solem, lunam, vrbes, & alias creaturas, & eodem modo, quae conspiciuntur in illa parua pupilla oculi, simul & eodem momento formantur & effinguntur; hoc pacto se mens habet in corde, ipsiusque, cor, est vas quoddam exiguum; ibi nihilominus dracones, ibi leones, ibi bestia venenosa, ibi vitiorum cuncti thesauri, ibi aspera & salebrosa via, ibi praecipitia. Quocirca fugiendae sunt & statim expellendae quaeuis impurae cogitationes, etsi leuissimae & non periculosae videantur, vt & occasiones earum ex incuria oculorum oriri solitae, ne per res, quae videntur exiguae, tam magnae scelerum machinae introducantur. Idem merito S. Bonaventura, inter tres gradus assequendae castitatis, primo loco ponit hunc, non offendendi Deum in hac materia, nec lethaliter, nec leuiter; sed resistendi cum omni diligentia, cogitationibus, & motibus sensuum. Hoc, singulari Dei beneficio, donum habuit S. Theresia, eximiae & rarae puritatis virgo, sed fecunda prolis religiosissima, virtut-

utriusque sexus spirituales mater, & Magistra sanctissima, ac simul sapientissima, quæ totâ vitâ nullum peccatum, etiam veniale contra castitatem commisit, quod esse posset materia confessionis: quemadmodum testatus est noster P. Franciscus Ribera in defensione eius vitæ immaculatæ, & alter Societatis Nostræ P. Rodericus Alvarez eius Confessarius, ostensis suis perspicillibus vitreis, aliquibus dixit: Sicut est impossibile, ut huc intret mala cogitatio, ita erat anima Teresie, beneficio specialis diuinæ gratiæ, uti scribit in eius vita Didacus Ypephus Archiepiscopus Turriasonensis. Et quamuis de omnibus intelligenda sunt illa Spiritus sancti verba: Serua legem meam, ut pupillam oculi tui, maxime tamen de castitate. Nam, ut ait Saluianus Massiliensis, Perfecte ac sincerissima sancti animi volens colores suos facere Saluator, insit ab his cautissime etiam minima vitari, scilicet ut quam pura est pupilla oculi, tam pura esset hominis Christiani vita: & sicut saluâ intuitus incolumitate, pulueris labem in se oculus non reciperet; sic vita nostra labem in se penitus impudicitia non haberet. Non habebit autem vllam vita nostra impudicitia labem, si ab eius occasionibus nostræ cogitationes & sensus alieni fuerint. Bene enim Theodoretus, in prægimo religiosæ historiæ, scriptum reliquit: Tels in nos diabolus, nostris membris vitur. Nam si neque inescantur oculi, neque aures demulcentur, neque tactus suauis quodam sensu titilletur, neque mens improba admittit consilia, frustra laborant qui parant insidias. Quomodo enim urbem in alto adificatam, & validis propugnaculis munitam, & profundis fossis vndique circumdatam, nullus hostis cepit, si ex eis qui sunt intus nemo prodât, & portas aliquas aperiat, ita fieri non potest, ut demones, qui bellum gerunt extrinsecus, superent animam, circumdatam à diuinâ gratiâ, nisi cogitationis alicuius socordia, nostrorum sensuum aliquam fenestram aperuerint, & per eam inimicum intrinsecus admisserint. Hac cum à diuinâ Scripturâ aperte didicissent ij quorum laudes à nobis celebrantur, & Deum audissent dicentem per Prophetam: Ascendit mors per fenestras, cum diuinis legibus tamquam quibusdam repagulis & vestibulis, sensus clausissent, menti clauas eorum tradiderunt: & neque labra linguam aperiebant, nisi mens imperasset, nec pupilla permittebatur, ut se extra alia porrigeret. Cum ergo murorum & portarum custodia eam curam gefissent, & internis cogitationibus eam concordiam conciliaissent, aduersarios extrinsecus inuadentes irridebant, qui vi quidem intrare, propter diuinæ gratiæ presidium, non poterant, nullam autem inueniebant proditorem, qui inimicos vellet admittere. Hæc & plura præclara Theodoretus habet, necessariâ seruanda ei qui vult proficere in virtutibus.

44. Sexto, si numquam in Dei cultu, etiam venialiter peccat; scilicet, in oratione, meditationibus, officio diuino, sacro audiendo, vel dicendo, administratione & susceptione Sacramentorum, & aliis functionibus sacris Ecclesiasticis, cum communibus aliis, cum propriis Patro-

chorum. Nam, ut ait S. Chrysostomus, *Quantum centum denarij à decem millibus talentis distant, tantum, imò verò multò plus, ea quæ in hominem peccata, distant ab his, quæ in Deum committuntur.* Imitandus est hac in re S. Macarius Abbas, qui teste Palladio, *centum quotidie constituit orationes faciens, & laborans manibus ea quæ sunt ad alimentum necessaria, & Fratribus vilitatem reddens congressionis per sexaginta annos, in oratione non fuit negligens.* Excelluit quoque in hoc profectus gradu alter Sanctus, quem scribit S. Nilus, à demonibus per duas hebdomadas, velut orbem quemdam, in aërem iactatum, & per aëra excipi solitum, mente tamen, nullo modo, à sua seruidâ oratione, fuisse distractum. Ita erat sollicitus, ne vlla macula in eius orationem irreperet. Merito: quia, ut monet S. Chrysostomus, *maiore debemus studio curam agere diuini cultus, quam vitæ nostræ: hoc est, potiùs vitæ iactura facienda est, quam vllum in Dei cultu deliberatè admittendum peccatum.* Hoc ita commendat S. Macarius in Lege, *animalia ratione carentia offerbantur in sacrificium, quæ, nisi mactarentur, grate non erant oblationes: modò quoque, nisi occidatur peccatum, oblatio non est accepta apud Deum, & vera.* Si enim Deus in Lege veteri, voluit sacrificia illius, & res quæ offerbantur in illis, tanquam figuris rerum futurarum, esse sine maculâ; multò magis in adoratione Dei per spiritum & veritatem procul abesse debet omnis contaminatio & factitas peccati. Quam ad rem, facit præclarum S. Hieronymi monitum: *Quia fragili carne circumdamur & cogimur pro victu atque vestitu, & necessariis quæ ad corpus pertinent, aliqua facere, quæ facere non deberemus; saltem à nobis hoc exigitur, ut quando in nos reuertimur, & scimus cur nati sumus, & interiora atque adyta templi ingredimur, recedamus à vitis sæculi, & ne minima quidem peccata faciamus.* Imitemur illum qui in Præto Spirituali describitur interrogatus à quodam sene aduenâ: *Dic mihi frater, in tanto tempore solitaria vitæ, spiritualisq; exercitij quid lucratus es?* Dixit ei frater: *Vade, & post decimum diem veni ad me, & dicam tibi.* Senex autem abiens, post decimum diem rediit, inuenitq; fratrem migrasse ad Christum, & reslam, in qua scriptum erat: *Ignosce pater, quia nunquam dum opus Dei agerem, aut horis constitutis psallerem, mentem meam dimisi in terram.* Ad horum classem reduci possunt nostri fratres, B. Stanislaus Kostka, B. Aloysius Gonzaga, & Alphonsus Rodriguez Coadiutor & ferè perpetuus ianitor, qui, ut in eorum Vitis & processibus pro Canonizatione factis legitur, nulla distractione in orando, Deû offenderunt. His annumerandus est & noster Bernardus Cantaber laudatus à Francisco Sacerdote, *qui suam orationem non interrupit, nec loco se mouit, etsi diabolus sæpè specie colabris per collare ad nudum eius corpus lubricus insinuans, rotum, gelido tactu pertentaret.* Sancti enim viri maiore quam promiscuum vulgus iustorum, lumine illustrati, agnoscunt quantâ sit colendum reuerentiâ

T t t
supra.

supremum. Numen Diuinæ Maiestatis, ideo tanquam enorme peccatum, quemuis in cultus diuini operibus nauum detestantur & vitant.

Coll. 23.
cap. 7.

Hinc ait Abbas Theonas apud Cassianum: Non iniuste non solum leui peccato, sed etiam gravissimo impietatis crimine astringitur, qui precem Domino fundens, subito à conspectu eius, quasi ab oculo non videns nec audientis, cogitationis improba vanitatem secutus, abscesserit. Et cap. 3. Qui summam totius voluptatis & gaudij & beatitudinis sue in diuinarum rerum tantum contemplatione constituunt, cum ab ea inuiti, vel paululum violentis cogitationibus abstrahuntur, vel quoddam sacrilegij genus in se presentis poenitentis puniunt vltione, ac vilissimam creaturam, ad quam sit detortus mentis intuitus, creatori suo se praeuulisse lugentes, pendè dixerim impietatis sibi crimen adscribunt: & licet ad conspiciendam diuinæ gloria claritatem, oculos sui cordis summâ claritate conuertant, tamen etiam breuissimas carnalium cogitationum tenebras non serentes, quidquid ab illo vero lumine, mentis aspectum retrahit, execrantur. Peccata enim leuia, inquit S. Isidorus, præsertim in Dei cultu, quæ ab incipientibus quotidianâ satisfactione purgantur, à perfectis viris velut magna crimina euitantur.

1. 1. sent.
cap. 18.

45.

Septimò, profectus quoad diminutionem, hinc quoque agnoscitur, si etiam in rebus alijs, & materijs, numquam talia venialia committit, etiam leuia, quæ valdè dedecent maturum, & grauem virum, vt sunt mendacia, detractiones maleuolæ, vitæ gulæ, per excessum frequentem, in cibo, & potu, præsertim notabilem vel sanitati noxium, contentiones & rixæ. Talis erat S. Ephrem, qui in testamento suo scribit, se numquam cum vilo Christiano contendisse, nec sermonem stultum è labijs eius egressum esse, & in omni vita sua neminem maledictis onerasse, & his similia. Talis erat Bellarminus, qui numquam tota vita, ne quidem in pueritia, se mentitum meminit. Et quod magis confundere debet Christianos, & multò magis religiosos, Epaminondas Princeps Thebanorum (teste Emilio Probo) tam seuerus fuit veritatis cultor, vt ne ioco quidem vnquam mentitus sit. Aded enim mendacium execranda res est, vt quidam apud S. Thomam dixerit: Viris perfectis, omne mendacium peccatum esse mortale.

cap. 3.

cap. 34.
vitæ.

22. q. 110.
a. 4. ad 5.

serm. 9.

Nimis grauis censura, sed hæc mira, quam habet S. Dorotheus. Nullus, inquit, mendax, adharere vnquam Deo, aut vniui potest. Et ita signum profectus est, à talibus venialibus semper abstinere; vnde S. Augustinus: Perfectorum præceptum est, non mentiri, sed nec velle mentiri. Præsertim cum S. Hieronymus dixerit: Quoties vitium vincimur, Deum negamus. Paulò autem antè, inter hæc vitia quibus Deum negamus, commemorauit, mendacium, quo Christum, veritatem, ait negari, cum tamen mendacium ex genere suo, non sit mortale, sed veniale peccatum, vt docent Theologi. Tales, religiosos omnes esse oportet, vt de illis dici possit, illud Papiniani, cuius dictum in

1. de mēd.
cap. 17.
In cap. 1.
Tim. fin.

D. decod.
Inst. 1. 15.

Imperatorias leges relatum est. *Que facta adum pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & vt generaliter dixerim, contra bonos mores sunt, nec facere nos posse, credendum est.*

Quandò, si exterius nullum veniale committit. Peccata enim que superscietenus admittuntur, vt ait S. Basiliius, & externè apparent, sunt, leuia, fordis culpam similia videntur. Ideoque meritò idem alio in loco monuit. Prius actiones corporis corrigere oportere, vt deceter ac congruè eas perficere possis, iuxta præscriptum diuini verbi, ac sic tandem ad intelligibilem contemplationem ascendere. Ided, vt docet S. Gregorius, sancti viri, ita se, in operibus suis, Deo auctore custodiunt, vt omnino, vnde accusentur, exterius non inueniatur. Et hoc est, quod S. Hieronymus monet: Ipse incessus, & motus, vultus, sermo, silentium, quandam decori sacri præferat dignitatem. Omnium iustus, inquit B. V. Maria, primò sit iustus sibi ipsi, ca. 1. 4. renuendo scilicet, ne quid in locutione, seu operatione, aut exemplo appareat, quod proximum possit offendere. Ne quod ex insuetudine reprehendit, vel docet, in alijs destruat moribus inordinatis. De exterioribus peccatis fortè, omnino abolendis, scripsit Seneca: Non diminutionem malorum, in bono viro intelligo, sed vacationem, nulla debent esse, non parua, nam si vlla sint, crescent, & interim impediunt, quomodo oculos, maior & perfecta suffusio, excæcat, sic modica, turbat.

Nonò, si quotannis, saltem vnum aliquod peccatum veniale minuatur, vt iuadet Thomas de Kempis. Si omni anno, vnum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur. Deipara S. Brigitta commendat. Non ad aliud viuere in mundo, nisi, vt Deo faciat honorem, & vt minuatur peccata. Cum qui vicerit auxilio Domini, libidinem, inquit Cassiodorus, ascendit primum gradum; cum dominatus fuerit superbia, subit alterum; dum superauit auaritiã, subit tertium, & tot gradibus euebitur, quot vitia ab solutus fuerit. Hoc commendabat Abbas Hyetichius: vt vita monachi, iuxta imitationem Angelorum, fiat comburens atque consumens peccata. Sine hac peccatorum diminutione, profectum in virtute non posse consistere, nec agnoscei, sic ostendit Plutarchus: Non poterit, inquit, quispiam suorum esse conscius ad virtutem profectum, si nullam de stultitia faciat diminutionem, sed vitium aequali semper pondere appensum, plumbi instar, & decorum quo rete, trahitur. Sicut neque in Grammaticâ discendâ, se proficere, aut Musicâ intelliget, qui nullam partem ignorantis rerum istarum deponat, sed eadem semper in inscitia perseueret; neque medicina egroti, qua eum nihil alleuet, aut vtcumque remittente, aut concedente morbo, leuiusculè habere efficiat, nullam sensum mutata in melius valetudini afferet, antequam corpore, sanitati pristina reddito, contrarius habitus integer, morbo successerit. Omnia peccata, sunt inimici Christi, inquit ipse Christus Dominus, alloquens S. Brigittam iubensque ab eis recedere. Sicut autem fidelis militis est, occidere si potest, vel saltem minuere multitudinem & numerum inimicorum Regis sui: ita minuendus est quam

46.

In cap. 41.
1. 1. 1.

In Pl. 1.

In 1. 1. 1.

maximè numerus peccatorum, ab iis presertim, qui Christi militie nomen suum dederunt. *Omni autem, inquit Christus Dominus, qui abstinet ab illicitis, verè meus miles est.*

Decimò, si quis minimum peccatum veniale, maximi, & pluris quàm antea facit, & eius emendationem non differt, & quoduis tanquam grauissimum vitat, & deslet commissum, non quidem in Stoicorum opinione, reprobata à S. Scriptura & SS. Patribus, & Philosophis moralibus, non facientium discrimen inter peccata, ac si essent omnia equalia, & paria, sed in sensu Sanctorum & perfectioni eximie studentium, qui magis vitabant, & desebant venialia parua, quàm soleant mali & tepidi, graua; & ita à minimis abhorrebant, ac si essent grauissima, non quòd ea non crederent, grauibus longè esse minora, nec quòd putarent amicitiam cum Deo (à solis peccatis mortalibus dissolui solitam) dissoluentia, sed, quia, vt ait S. Hieronymus, *Tandè facilius abstinemus à quocumque delicto, quantò illud magis metuimus: nec citò ad maiora progreditur, qui parua formidat.* Hoc sano sensu, docet Cassianus, gulæ vitia, & somni excessum, eodem studio, quo meretricationis vitium desecanda iis, qui magnos cupiunt facere in virtutibus progressus. Hoc pio sensu, SS. Patres passim moment, minima pro maximis cauere, vt scribit S. Hieronymus, seu S. Paulinus, & S. Bernardus. *Non est enim minimum,* inquit S. Cæsarius Arelatis, *vitia in vitâ hominum, negligere minima.* Sic S. Chrysostomus considerans pericula ex paruis nascencia, & quòd ea, non ita ob suam paruitatem excitent ad eorum fugam, vt magna, suâ enormitate se reddunt exosa, ait, *non tanto studio magna vitanda videri, quanto parua & vitia.* Maior enim, inquit S. Gregorius, quò citius, quia sit culpa agnoscat, eò etiam celerius emendatur. Minor verd, dum quasi nulla creditur, eò peius, quò & securius, in vsu retinetur. Vnde sit plerumque, vt mens assuetâ malis leuibus, non perhorrescat grauiora, atque ad quamdam auctoritatem nequiria, per culpas nutrita, perueniat: & taudè in maioribus contemnat perimescere: quantò didicit in minimis, non timendo peccare. Saltem olim viri perfecti, leuia tanquam magna vitabant, vt & nunc vitant. *Perfecti,* inquit S. Ildorus, *leuia queque delicta quasi grauissima lugent.* Testis est, de S. Paula, S. Hieronymus, quæ ita leuia peccata plangebant, vt illam grauissimorum criminum crederet ream. Qui tali affectu prosequuntur minimos lapsus suos, solliciti sunt ne differant eorum emendationem, ac hoc modo proficiunt. Hinc S. Gregorius Nazianzenus, inter alia profectus signa, hoc etiam ponit: *Si quis repudiari voces. Quid tum postea? Nunc quidem ita, aliàs verd melius.*

50. Vndecimò, profectus signum est, si etiam peccata materialia cauet, vt sunt ea, quæ culpæ non sunt, ob defectum solum inculpabilem considerationis, seu, vt Theologi loquuntur, ob

defectum aduertentiæ rationis, & ea quæ vocantur, imperfectiones seu defectus, vt sunt distractiones inuoluntariæ, & indeliberatæ, & profus inculpabiles, agitatio digitorum inanis, seu vt aliqui appellant, tympanizatio: masticatio festuca: extremi cinguli aut rosarioli, vel benedicti numismatis, rosario appensi, rotatio; digitorum singulorum, ad strepitum edendum instituta tractio: capitis non necessarius motus: manuum in familiari colloquio gesticulatio: ex primo motu verba iracundè prolata, & his similia: quæ tamen & Philosophi morales, & Sancti magni olim improbabant: vt est in sedendo, genu supra genu ponere, quod in S. Arsenio, duorum antea filiorum Imperatoris Magistro, improbabant Patres, teste Metaphraсте in eius vitâ. Et S. Basilius, & S. Vincentius damnant; & his similia. Sicut enim Ecclesiam Christus vult esse sine maculâ peccati, & sine rugâ imperfectionum; ita multò magis religiosos, qui sunt, vt ait S. Nazianzenus, *Ecclesia pars selectior & sapientior,* omni carere nãuo oportet. Erat hoc cordi nostro S. P. Ignatio, qui vt scribit in eius vita Massæus, *ita compositis fuit moribus, vt neque manum neque oculum, membrumve aliquid, sine causa & ratione moueret, & in statu, incessu, accubatione, sessione, decorum teneret.* Vt enim monet Tertullianus: *Tanta debet esse plenitudo pudicitia Christiana vt emanet ab animo in habitum, & eructet à conscientia in superficiem, vt & foris inspiciat quasi supellestem suam.* Illud, inquit Nazianzenus virginem alloquens, *velim non ignores, rugam tibi vnam turpiorem esse, quàm maxima vulnera iis qui in mundo viuunt: nec enim tam notabilem & conspicuam in sordidis quàm in puris vnius coloris vestibus, labes aliqua seditatem habet.*

Duodecimò, si quoad ista, quodammodo (moraliter loquendo) sumus velut impeccabiles: id est, ægrè, difficulter labamur in ea, in quæ nostra fragilitas, & vitæ huius conditio, post vitiatam peccato naturam nostram, pettrahit etiam, quandoque perfectissimos, sed quasi nolentes. De his S. Gregorius: *Sæti viri, licet iam magnâ virtute claritate luceant, aliquas tamen, (non dixit multas) peccati nebulas veluti quasdam noctis reliquias, nolentes trahunt.* Hoc commendans S. Dionysius Areopagita ait: *Oportet nos si ad Deum desideramus, per communionem ascendere, in diuinissimam sui, secundum carnem, vitam respicere, (scilicet Christi incarnati) & ad eam similitudinem mirabili impeccabilitate, in Deiformem, & immaculatum habitum recurrere: sic enim pro captu nobis cum simili societatem donabit.* Hoc indicat sponsa in Canticis: *Expoliatus me tunicâ meâ quomodo induar illâ?* Expendit particulam, *Quomodo,* S. Ambrosius: *Vide, inquit, anima Deo deuota quid dicat: sic se actus corporis, & terrenos mores exiit, vt nesciat quomodo, etsi velit, rursus possit induere.* Ita impuræ Dominæ respondit S. Ioseph: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum mecum: id est, non possum; eo sensu,*

1. r. reu. cap. 6. 49.

Ep. 14. ad Cel.

l. j. c. 10.

Ep. 14. ad Cel. tr. de ord. vic. hom. 8. ad mon. hom. 87. in Mart.

3. p. past. cap. 34.

12. sent. cap. 1. Ep. 27. ad Euldo.

50.

19. Julij apud Suerium. Basiler. de abd. reru. 51. Vin. de vit. spir. cap. 79. Or. in laud. Bas. l. 3. c. 6. de cult. fem. cap. 13. Or. de fuco.

52.

In Pf. 2. Pœuit. c. 3. Eccl. hier.

Cant. 5. 3. l. 3. de Virgin.

Gen. 39. 9.

1. Ioan. 3. 9. I. de vera relig. c. 16.

su, quo S. Ioannes ait: Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, & non potest peccare. Hæc anime firmitas, iudicio S. Augustini, est tertia ætas interioris hominis, cum anima menti ita copulatur, & velamento pudoris obnubitur, ut iam recte vivere non cogatur, sed etiam si omnes concedant, peccare non libeat. Hoc sensu intelligenda sunt illa verba Christi, S. Brigittæ dicta: sicut impossibile est diabolo, separare amicos meos à me. Sic Apostolus exclamavit aucter: Nulla creatura poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu, Domino nostro. Hanc auersionem à peccato, imitantur illi monachi S. Pachomij, de quibus scribitur in Vitis Patrum: quod impossibile fuerit, aliquem apud eos, verbum otiosum loqui, sed ea tantum, quæ de sanctis Scripturis didicerant, erant inter se conferentes, & exponentes de capitulis scripturarum, quæ ad timorem Domini confirmarent & illuminarent animas eorum. Eodem sensu accipienda sunt verba B. Macarij dicentis: Impossibile est, bene credentem, & piè colentem Deum, cadere in passionem immundam, & in errorem demonum. Hoc sensu Abbas Chæremon apud Cassianum, excitat nos ad profectum in virtutibus: ut ad ipsarum virtutum amorem, perfectò mentis ascendamus ardore, ut transmigrantes in affectum boni ipsius, IMMOBILITER, quantum humana natura est possibile, quod bonum est recitentur: præsertim in occasionibus peccandi, non quaesitis, sed vitro se ingerentibus, & allicientibus ad peccatum etiam inuitos: quas, qui valdè profecerunt, generosè repudiant, & quâuis peccando latere possint, non peccant. Da inquit S. Ambrosius, hunc anulum sapienti (scilicet anulum Gygis, quo ille videns omnes, à nemine visus stuprum Reginae intulit) ut beneficio illius possit latere, cum deliquerit, non minus fugiet peccatorum contagium, quàm si non possit latere. Non enim latebra sapienti, spes est impunitatis, sed innocentia. Denique lex iusto non est posita, sed iniustus, quia iustus legem habet mentis suæ, & equitatis, ac iustitia sua normam. Porro hæc firmitas in odio & fugâ peccati oritur ex quadam plenitudine ac abundantia acquisitarum virtutum. De quâ & hoc eius effectum sic discurret S. Basilius: Quemadmodum civitatis est abundantia venalium rerum copia in foro, itemque regionem abundare dicimus, quæ multis referta fructibus existit; sic & anima quadam est abundantia quæ omnigenâ specie bonorum operum est referta: quæ primùm quidem industriâ ac solerti labore percolitur, postea verò celestium imbrium frequenti irrigatione saginata, fructum tricesimum, sexagesimum, centesimum reddere, ac benedictionem assequi valet dicentem: Benedicte horrea tua, & reliquæ tuæ.

1. r. reu. cap. 6. Rom. 8. 39.

Ruff. l. 3. n. 35.

1. 7. c. 18. n. 2. Vit. PP. Ruf. p. 62. c. 1. Coll. 11. c. 8. fia.

1. 2. offic. cap. 3.

In Pf. 29.

Deut. 28. 5.

Rom. 8. 35.

Qui enim suam intelligit constantiam, multâ cum confidentiâ dicit, & affirmabit, se non passurum, ut ab adversario in errorem mittatur, quasi ager plenus, cui benedixit Dominus. Et, uti supra de Paulo Apostolo dixerat: dicit diabolo contemptum: Quis nos separabit à charitate Christi?

Decimotertio, valdè magnum est signum, infirmitatis profectus, quoad diminutionem malorum, si quis etiam speciem, & signum peccati fugiat & deploret. Inter est tua perfectionis, inquit S. Bernardus scribens ad Eugenium Papam, & malas res, & malas pariter species deuitare. In altero conscientia, in altero fama consulit: Puta tibi non licere (etsi alias fortasse liceat) quicquid male fuerit coloratum. Denique interroga maiores tuos, & dicent tibi: omni specie mala abstinete vos. Minister Domini Dominum imitetur: de quo habes: Dominus decorem induit, induit fortitudinem. Fortitudo tua, fiducia fidelis conscientia, decor tuus, splendor bona opinionis. Vestire duplicibus, quibus domesticos suos fortis illa mulier vestire consuevit. Non sit in conscientia nutans infirmitas modice fidei: non sit in samâ neuis male speciei, & vestieris duplicibus. Medicus noster, inquit S. Augustinus, Omnipotens est, & sic consuevit plagas nostras curare, ut nec cicatricum vestigium (scilicet species & signum peccati) post ipsius medicamenta remaneat. Etsi id quod fugit vel deplorat, verè non sit vllum peccatum. Hoc affectu S. Paulus Apostolus de se scripsit: Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem scandalizem. Et: Bonum est non manducare carnem, & bibere vinum, in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Sic S. Tobias cum vocem balantis hædi audisset: Videte ne forte furtiuum sit, reddite eum dominis suis. Sic S. Dominicus, etiam adificationis causâ, moriens dixerit, excitans eos ad castitatis amorem, se consecrassè virginitatem, postea quasi suam virtutem vanè iactasset, confessus est, accusans se tanquam gravissimam culpâ. Sic S. Geraldus Comes, quem ad modum in eius vitâ scribit S. Odo: Ita cultor interne puritatis, corporis inquinacionem refugiebat, ut ipsam solam quæ dormienti acciderat, non solum balneis, sed etiam lachrymis abluerit. Sic B. Iulianus Abbas, renebat apud Theodoretum propalari, se viuentem, draconem signo Crucis à se interfectum. Sic apud eundem S. Marciarius, quamuis magna virtutis suspectas habens machinas. Sic S. Ignatius, cum hac sola re Confessarium adiit, ut confiteretur, quia erratum cuiusdam, tribus Patribus aperisset: cum duo ad remedium adhibendum sufficerent, eistis, qui deliquerat, vno illo errato patefacto, apud tertium illum Patrem, nullam existimationis bonæ iacturam passus fuerit. Bonarum enim mentium est, inquit S. Gregorius, etiam ibi aliquomodo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est.

Decimoquarto, si in peccatum lapsus, statim culpam aboleat, dolere, amore Dei, actibus contrariis & cessatione à similibus peccatis. Nam ut ait Clemens Alexandrinus: Hominis est proprium, anima expurgare oculos, castamque, & sanctam carnem suam tueri. Et cum dixisset: omnibus viribus tentandum esse, animam Deo similem reddere, post dicta varia subdit: In peccatis non diutissimè immorari. Optandum fuerit, inquit S. Basilius, ut ne attigamus

gamus quidem malum: secundus proinde erit nostra nauigationis cursus. si à primâ mox qualicumque experientia mali. quasi à bestia intentante plagam pestilentem ac virulentiam refrigerimus: iuxta quod à Salomone de leui & improba muliere scriptum est: Ne applices oculum tuum ad eam, sed respice, ne moreris. Nam in peccato morari, est sedere in cathedra pestilentia. Et S. Bernardus: Cor, inquit, sit purum, vt nihil morari intra se patiarur mali, nec modicum quidem offendiculum, tolerabile reputet, aut in conscientia sua, aut in alienâ. Qua in re S. Augustinus nauas iubet imitari. Quoniam, inquit, per angustas rimulas, aqua insudat nauicula nostra, ne impleatur sentina, & cymba mergatur, non cessetur à nauitis, ambulent manus; & quocumque, quod nauis faciant, exhaurentur sentine. Censebat enim rectè S. Augustinus, per multa venialia non expiata, deueniri ad mortalia, & sic animam veluti nauem mergi. Vnde de venialibus loquens. Quid interest ad naufragium vitium vno grauius fluctu, nauis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat nauem, atque submergat? Qui autem, inquit S. Gregorius, quotidie non exhauret, quod delinquit, etsi minima sint peccata, que contigerint, paulatim anima repletur: Ea ergo quotidie euacuare conetur. Peccatum enim etsi paruum, & non capitale, si teiunus atque elemosynis non redimatur, nimis immundam animam facit, inquit S. Augustinus. Et quod peius est, vt ait S. Thomas, Frequentia peccati (venialis) dispositio, inducit ad contemptum: (qui sit peccatum mortale, de tali enim contemptu disputat) iuxta illud: Impius cum in profundum venerit peccatorum, conuenit. Merito ergo Marcus Eremita monet: Ne dimittas peccatum inaleterum, tamen si existat valde modicum, ne te postea ad malum maius, & vitium pertrahat. Etenim, inquit S. Basilius, nisi celeriter animaduertens, diabolicas esse istas insidias, easque ex animo penitus extirpaueris tuo, sine dubio, ea te à verâ, qua est ex Christo, viuendi disciplina deturbabunt, &c. Nullum omnino sit erratum, quod parui pendas, esto, quamuis illud tenuissimâ bestiolâ minutus sit, potiusq; eo magis sedulo contende, vt per penitentiam illud emendes. Statim ergo abolenda sunt ex anima. Nam etsi leue sit quoduis peccatum, multa tamen parua, magnam congregant malorum molem. Quia vt idem S. Augustinus dicit: In quotidianis peccatis, imenda est ruina multitudinis, & si non magnitudinis, quoniam non leuia sunt, quia plura. Singula ergo statim excludenda sunt ab animâ, ne cumulentur, vt enim ait Cicero: Omne malum nascens facillè opprimitur, non ita cum inueteratum est. Et ita Dominus monens S. Birgittam, dicit: Munda te à peccato omni hora, cum consilio eorum, quibus te commiseram. Et hanc esse causam, ait Abbas Serenus apud Cassianum, quod Mosès Abbas, vir singularis & incomparabilis, ob reprehensionem vnius sermonis, quem contra Macarium Abbatem disputans, paulo diutius protrahit, quadam scilicet opinionè prauentus, tam diu confessum traditus est dæmoni.

ni, vt humanas egestionem, ore suo ab eo suppletus ingereret. Quod flagellum, purgationis gratiâ, se Dominus intulisse, ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis eius, atq; auctore remedij demonstrauit. Nam continud, Abbate Macario, in oratione submisso, dicto citius, nequam spiritus ab eo fugatus, abscessit. Ita Deus dilectos suos vult, quam citissimè, ab omni mundari maculâ, & immaculatos iucunde aspicere. Mundi sunt enim oculi Dei, vt ait Habacuc Propheta, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poterit. Quocirca S. Antonius Abbas, inter prima monita, monachis, quos alloquebatur data, hoc etiam reliquit, teste S. Athanasio in eius vitâ: Suadebat iugi meditatione retinendum Apostoli sermonem, qui ait: Sol non occidat super iracundiam vestram. Non tantum autem super iracundiam, solem occidere non debere interpretabatur, sed & super omnia delicta hominum: ne peccatorum vnquam nostrorum, aut in nocte luna, aut in die sol, testes abscederent. Et S. Dorotheus monet: Si, vt homines super amur & labimur interdum in peccatum, studeamus statim resurgere, penitentia & lacrymis profusis in conspectu diuinae bonitatis & clementia: necnon etiam pro virili parte pugnares. Ita cum respexerit Deus intentionem nostram, humilitatem, contritionem, porriget nobis manum, & faciet nobiscum misericordiam. Ita satisfit monito S. Chrysostomi dicentis: Peccatum si ad animam tuam diuertit, hospes sit non incola.

Decimoquinto, si etiam pœnarum Purgatorij obligationem diminuit, per illa opera, per quæ in sanctâ Ecclesiâ diminuuntur, in toto, vel in parte. Quæ autem sint illa opera, per quæ pœnæ peccatis debite abolentur, dicam in Opusculo, de modis euadendi pœnas Purgatorij. Obligatio pœnæ, est veluti immunditia legalis, quæ etsi non erat peccatum, tamen homines fœdabat, ideoque variis caeremoniis homines expiabantur. Porro inter immunditias legales erat vna, quâ Nazaraei Deo dicati polluebantur, si quis coram eis subito moreretur: & tunc præcepit Deus, vt subito in eadem die raderetur caput; ad expiandam hanc immunditiam. Maior autem immunditia est, quam peccata commissa relinquunt, ideoque citissimè abolenda. Vnde S. Bernardus ait: Sanctus Spiritus nec minimam partem, intra cordis quod possidet habitaculum, patitur residere, sed statim igne subtilissima circumspersionis exurit, Spiritus dulcis & suauis. Estque magnum Dei beneficium, in hac vitâ pro omnibus Deo satisfacere peccatis. Hinc cum Dominus dixisset Angelo: Qualem misericordiam petis sponsa mea (scilicet S. Birgittæ) Ille, inquit, anime & corporis: vt quidquid hic deliqueris, in mundo emendet, & nullum peccatum eius veniat in iudicium tuum. Respondit Dominus: Fiat secundum voluntatem tuam.

Decimosexto, Magnum & hoc est lignum profectus, si quis non tantum se à peccatis (modis supradictis) purgauerit, sed ardentè optet, & conetur, modis quibus potest, alios quoque ab iis esse



esse vacuos. Talis zelus non reperitur in iis, qui non proficiunt. Tales debemus omnes esse, vt noster Angelus cultos id de nobis dicere possit, quod Plinius dixit de Traiano Imperatore: *Est magnificum, quod te ab omni contagione vitiorum reprimis, ac reuocas, sed magnificentiùs quod tuos. Sanè Tertullianus Christianos vult esse, repastinantes rerum vsus, hoc est, more eorum, qui terram ad frugiferam sementem apparant, euellentes inutilia & noxia, tepurgantes ab iis quæ animi fructum impeditura videntur. Quanto magis id illis incumbit, quorum finis est, non sue tantùm, sed etiam salutis & perfectionis proximorum, impense incumbere. Perfectio autem rei consistit in hoc, quod pertingat ad suum finem, inquit S. Thomas.*

Decimo septimò, hoc quoque est signum profectus in extirpatione ac diminutione vitiorum, si quis alienos defectus, non indignabundo animo, sed plenâ commiseratione videat. *Euidens indicium est, inquit Abbas Charemon apud Cassianum, anima necdum vitiorum scibus eliquata, in criminibus alienis, affectu misericordiam non condolere, sed rigidam iudicantis tenere censuram. Nam quemadmodum perfectionem cordis poterit obtinere is, qui non habet illud, quod Apostolus plenitudinem legis consummare posse signauit: Alterutrum, inquit, onera vestra portate, & sic implebitis legem Christi: sed nec illam virtutem possidet caritatis, que non irritatur, non inflatur, non cogitat malum; qua omnia suffert, omnia sustinet, &c. Sic & S. Hieronymus: Qui, inquit, criminibus alterius, non affectu misericordiam condolere, sed iudicantis maullu tenere censuram, ostendit se, necdum vitiorum scibus eliquatum, neque auditu diuinæ misericordiam existere dignum. Vera enim iustitia, vt scribit S. Gregorius Papa, compassionem habet, falsa verò indignationem. Cùm autem perfecta caritas sit perfecta iustitia, vt ait S. Augustinus, Ideò perfecta caritas, inquit S. Chrysostomus, alii aureis, omnium quos complectitur, vitia regit. His modis euelluntur peccata, ac mala diminuuntur primi generis. Qui ergo vult cognoscere an attigerit primum gradum profectus, examinet se circa hæc septemdecim puncta; circa quæ si non inuenerit se profecisse, conetur deinceps primi generis mala, in se per euulsionem, à Spiritu sancto per Ieremiam commendatam, diminuerè.*

CAPVT SECVNDVM.

Quibus modis sint diminuenda peccata.

58. **P**orrò quis modus in extirpatione & diminutione vitiorum tenendus sit, docet Abbas Serapion apud Cassianum Collatione quinta, & duo monita præclara tradit.

Primum habetur cap. 10. *Oho, inquit, vitia, licet diuersos ortus, ac dissimiles efficientias habeant, sex tamen priora, id est, Gastrimargia, Fornicatio, Philargyria, Ira, Tristitia, Acedia, quadam inter se con-*

nexione, & vt ita dixerim concatenatione, connexa sunt, ita vt prioris exuberantia, sequentis efficiatur exordium. Nam de abundantia Gastrimargia, Fornicationem, de Fornicatione, Philargyriam; de Philargyria, Iræ; de Irâ Tristitiam; de Tristitia, Acediam, necesse est pullulare, ideòq; simili contra hæc modo, atque eadem ratione pugnandum est, & à precedentibus semper aduersus sequentia, oportet nos inire certamina. Facilius enim cuiuslibet arboris, noxia latitudo ac proceritas exarefcit si antea radices eius quibus innititur, vel nudata fuerint, vel succisa. Et infestantes humores aquarum, continuò siccabuntur, cùm generator earum fons, ac profuentes vene, solerti industria fuerint obiu-rata. Quamobrem vt Acedia vincatur, anti Tristitia superanda est; & vt Tristitia propellatur, Ira prius extrudenda est; & vt extrudatur Ira, Philargyria calcanda est; & vt euellatur Philargyria Fornicatio compesenda est; vt Fornicatio subruatur, Gastrimargia vitium est castigandum. Residua verò duo, id est, Cenodoxia, & superbia, sibi quidem similiter, illa quæ de superioribus vitiis diximus, ratione iunguntur, ita vt incrementum prioris, ortus efficiatur alterius. Cenodoxia enim exuberantia, superbia somitem parit. Sed ab illis sex prioribus vitiis, penitus dissident, nec simili cum eis societate fœderantur. Siquidem non solam nullam ex illis occasione sui generationis accipiunt, sed etiam contrario modo, atque ordine, suscitantur. Nam illi euulsis, hæc vehementius fructificant, & illorum morte viuacius pullulant, atque succrescunt. Vnde etiam diuerso modo ab his duobus vitiis impugnamur. In vno quodque enim illorum, sex vitiorum, tunc incidimus, cùm à precedentibus illorum fuerimus elisi: in hæc verò duo, victores, & vel maxime post triumphos, periclitamur incurere. Omnia igitur vitia, quemadmodum incremento precedentium generantur, ita illorum diminutione purgantur. Et hæc ratione, vt superbia possit excludi, Cenodoxia est prefocanda. Et ita semper prioribus superatis, sequentia conquiescent, & extinctione precedentium, residua passionis, absque labore marcescent. Et licet hæc que prædiximus octo vitia illa quæ commemorauimus ratione, inuicem sibi connexa, atque permixta sint, specialius tamen, in quatuor coniugationes, & copulas diuiduntur. Gastrimargia namque Fornicatio, peculiari consortio fœderatur; Philargyria Ira; Tristitia Acedia: Cenodoxia superbia familiariter coniugatur. Et quidem hæc vltima Serapionis doctrina, vniuersaliter sumpta, verissima est & in omnibus hominibus locum habet: sed altera de origine & dependentia vitiorum ab eo commemoratorum, non est vniuersaliter vera, sed vt plurimum, & tantùm in aliquibus. Nam in aliis, alio profus modo & ordine, vni vitium ab altero profuere, & veluti gigni experientia certa demonstrat. Ideò, vt narret S. Ioannes Climacus, cùm ab antiquis Patribus g. 11. doceri petisset, quod vitium, ex quâ progenie traheret? Illi inquit, me blandè & placidissime edocentes, aiebant, nullum ordinem aut prudentiam rationem, inesse rebus stultis: sed omnem profus peruersionem, atque inconstantiam, atque id mihi veris exemplis, & ratio-

nibus per suadebant beati illi. Exempli causa, intemptius risus, aliquando quidem ex fornicatione, aliquando vero ex inani gloria nascitur: cum scilicet apud seipsum quisque turpiter gloriatur. Nonnunquam vero ex deliciis gignitur. Multus somnus, aliquando ex deliciis, aliquando ex icunio nascitur: aliquando vero ex acedia, aliquando ex natura. Multiloquium, aliquando ab inani gloria, aliquando a gastrimargia, initium sumpsit. Acedia vero, aliquando ex deliciis, & ex contemptu Dei timoris oritur. Blasphemia proprie quidem superbia germen: nonnunquam vero, etiam ex iudicando, in eadem re proximum, siue etiam ex improba demonum inuidia nascitur. Duritia cordis, interdum a satietate, sepe vero, etiam ab insensibilitate, atque ab affectione vitiosa, originem ducit. Hac vero rursus affectio, & a fornicatione & ab inani gloria, & ab auaritia, & a gastrimargia, aliis quoque plurimis vitiis oritur. Porro hu contraria, a contrariis gignuntur.

60.
Cassian.
Coll. 5.
cap. 14.

Secundum eiusdem Abbatis Serapionis monitum, recenset Cassianus, ca. 14. eiusdem Collationis. Ita, inquit, in nobis aduersus hac arripienda sunt praelia, vt vnusquisque vitium quo maxime infestatur, explorans, aduersus illud arripiat certamen principale, omnem curam mentis & sollicitudinis, erga illius impugnationem, obseruationemq; desigens: aduersus illud, quotidiana ieiuniorum dirigenis spicula, contra illud cunctis momentis, cordis suspiria crebraq; gemituum tela, contorquens: indefinenter quoque orationum fletus, ad Dominum sunders, & impugnationis sue extinctionem ab illo specialiter, ac iugiter poscens. Impossibile namque est, de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria, vel labore proprio, victoriam certaminis obtinere semet non posse, cum tamen vt valeat emundari, necesse sit eum, die noctuq; in omni cura, & sollicitudine permanere. Cumq; se ab ea senserit esse absolum, rursus latebras sui cordis, simili intentione perlustret, & excipiat sibi, quam inter reliquas perspexerit diuorem, atque aduersus eam specialius, omnia spiritus arma commoueat: & ita semper validioribus superatis, celerem de residuis habebit, facilemque victoriam: quia & mens triumphorum processu, reddetur fortior, & infirmior pugna succedens, promptiore ei faciet prouentum praeliorum, vt fieri solet ab his, qui coram Regibus mundi huius, omnigenis congressi, bestiarum praeliorum contemplatione consueuerunt, quod spectaculi genus vulgo pancarpum nuncupatur. Hi inquam, feras quascumque, fortiores robore, vel feritatis rabie conspexerint, diuiores; aduersus eas prima congressionis certamen arripiunt, quibus extinctis, reliquas qua minus terribiles, minusq; vehementes sunt, exitu faciliore prosternunt. Ita & vitium semper robustioribus superatis, atque infirmioribus succedentibus, parabitur nobis, absque vilo discrimine, perfecta victoria. Nec tamen putandum, quod principaliter quis, contra vnum dimicans vitium, & velut incautus, aliorum tela prospiciens, inopinato ictu facilius valeat sauciari, quod nequaquam fiet. Impossibile namque est, eum, qui pro cordis sui emundatione sollicitus, erga impugnationem vitij cuiuslibet, intentionem sua

mentis armauerit, aduersus cetera quoque vitia, generalem quendam horrorem, & custodiam similem non habere. Quo enim modo, vel de illa, qua absolui desiderat, passione, merebitur obtinere victoriam, qui se indignum purgationis premio, aliorum contagio facit victoriam: Sed cum principalis cordis intentio, velut specialem sibi pugnam, aduersus vnam exceperit passionem, pro ipsa orabit ardentius, peculiari sollicitudine, ac studio supplicans, vt eam diligentius obseruare, & per hoc celerem mereatur obtinere victoriam. Hanc namque nos ordinem praeliorum, exercere debere, nec tamen de nostra virtute confidere, etiam Legislator, his docet verbis: Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est. Deus magnus & terribilis, ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes. Non poteris delere eas pariter, ne forte multiplicentur contra te bestia terra. Dabitq; eos Dominus Deus tuus, in conspectu tuo, & interficiet illos, donec penitus deleantur. Tantum seria eorum extirpationi incumbendum est re ipsa, & factis, non solo desiderio: quia vt ait S. Petrus Chrysologus: Tenuis malitia est, solo amore, de omnibus vitiis reportare victoriam. Quoniam vero vt ait S. Bernardus, vitia, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccendantur, extincta, & sopita, denud excitantur: tum haec quae repullularunt, tum alia, iuxta consilium S. Dorothei, & aliorum Sanctorum euellenda sunt, cum adhuc tenera sunt, nec sinenda obdurescere, & crescere in nobis, vt perfectam in nobis malitiam faciant. Parua enim & tenera herba, statim extirpatur. Quod tali illustrat exemplo S. Dorotheus: Otiosus, inquit, erat quandoque senex magnus cum discipulis suis in hortis, in quibus cupressi varia, magne scilicet ac paruae, creuerant. Imperauit igitur vni ex fratribus senex, cupressum euellere, quae cum parua esset & tenera, vna manu extirpata est. Post, iussit aliam maiusculam euelli: quae uon vna, sed ambabus manibus, tandem euulsa est. Tertio, maiorem adhuc prioribus, videns senex, & illam imperauit euelli: quae non sine magno labore extracta est. Quartam quoque ceteris altiore, extirpari iussit, quae summo conatu, labore, & sudore, vix extrahi potuit. Quintam adiecit maximam, quam cum ille conaretur euellere, numquam valuit, sed in cassum circa eam elaborabat, desudabatq;. Quod vt vidit senex, solum videlicet, opus perficere minime posse, iussit coadiutorem accedere: sicq; ambo illam tandem extraxere. Tunc ad omnes conuersus senex, ait, Huiusmodi sunt vitia nostra fratres. Cum tenera sunt & parua, si volumus, facile illa possumus a nobis extirpare: quod si ea neglexerimus, obdurescent illic, quoq; magis obdurerint, eo maiore vi & labore opus erit.

Porro specialem modum, quo singula vitia euellenda, & diminuenda sint, singulari certamine, tradidit praclare S. P. N. Ignatius in suorum Exercitiorum libro, dum docet modum Examinis particularis; qui, quoniam pro Nostrorum praecipue utilitate conscriptus est, & per Nostros, aliis quoque externis & religiosis dari solet, non est, cur de illo, hoc in loco, quidquam agam: praesertim cum eum accurate ex-

cap. 4. n. 3. & seq.

plicaturus sim, in Opusculo de conseruando spiritu, tempore studiorum.

CAPVT TERTIVM.

De secundo gradu spiritualis profectus: qui est refrenatio inordinatarum passionum.

62.

Secundus gradus malorum minuendorum, est per destructionem. Aliter res euelluntur, aliter destruntur. Quae euellantur, radicibus abolentur, ut male herbae aut plantae: & sic vitia omnia & peccata eradicanda sunt. At quae destruntur, non necessario radicibus euelluntur, ut dum quis malas herbas conculcat, vel superficialiter abscindit, relictis radicibus, ex quibus deinde herbae pullulare solent. Ad secundam hoc genus malorum, spectant innatae omnibus nobis passiones, quarum moderatio, primo, post euulsa vitia, loco procuranda est; Vnde Abbas Isaac apud Cassianum, tradens modum, quo construenda sit turris sublimissima perfectionis, post repurgium vitiorum, statim necessarium esse ait, ut effodiantur succidua, mortuae, & verae passionum: & c. 3. necessarias dispositiones, ad contemplationem perfectam, docet esse; ut mens, ab omnibus terrenis vitiis sit expurgata, cunctisque mandata facibus passionum, quae, ut docent Theologi, in nobis nil aliud sunt, quam, actus appetitus sensitiui, quatenus sunt, cum corporis motione, & alteratione, & saepe praeueniunt nostram rationem, illamque perturbant, & ad peccatum inclinant. Seu, ut ait S. Damascenus, sunt motus sensibiles, illius partis animae, in qua inest appetitus (id est sensitiuus) ad boni aut mali cuiuspiam speciem, ipsi obseruantem. Ideo passiones animae. S. Thomas dicit esse, in appetitu sensuali, cuius obiectum est, bonum & malum. Vnde omnium passionum animae, quadam ordinantur ad bonum, ut amor, & gaudium; quadam ad malum, ut timor, & dolor. Porro haec passiones non in omnibus aequaliter vigent, tum ob inaequalitatem virtutum moralium, quae, etiam perfecta, etsi non totaliter tollant passiones (ut docet S. Thomas), ordinant tamen eas, & moderantur magis dum sunt perfectiores: tum ob differentiam naturalis complexionis, ob quam, biliosi, magis irascuntur, quam phlegmatici. Qua de re sic S. Gregorius: Humana anima, semel a sternitatis statum deservens, ad fluxum temporalitatis delapsa, hanc mutabilitatem alterationum motionum, quam dum caderet, volens appetit, dum conatur surgere, cogitur inuita tolerare: inde quippe punita est, vnde delectata. Quam profunde autem insitae nobis sint haec motiones, ostendit S. Hieronymus: Difficile est, quin potius impossibile, perturbationum iniuriis carere quempiam, quae significantius Graeci ἀπειρομαχος, ante passiones vocant. Cum ergo hi motus, quia naturae nostrae, peccato vitiatæ, insitui sunt, extirpati non possint, frenandi sunt, & compescendi, ne

Coll. 9. c. 1.

1. 2. ad 3.

63.

Suar. to. 1. in 3. p. disp. 3. 4. sect. 1. l. 2. fid. c. 22.

1. p. q. 95. a. 2. ad 3.

64.

1. 2. 4. mor. c. 7.

Epist. 9. Orig. ho. 23. in Num. & in c. 1. Rom. Baf. in Psal. 37. Hier. in c. 69. Il. Amb. in Psal. 37.

nobis noceant. Soli Deo competit, vacuum esse nostris affectibus; qui dum ei in sacra Scriptura tribuuntur, non propria, sed metaphorica locutio est, ut obseruarunt SS. Patres.

Atque ita, etiam Plutarchus loco citato, cum omnium, ait, animi affectionum vacuitas, res sit magna, ac diuina, nos autem profectum, remissione quadam & mansuetudine affectionum desiniamus, necesse est, & inter se, & cum aliis comparare motus animi, & ita discrimen examinare. Frenandi sunt ergo, innatarum nobis passionum, inordinati affectus, seu motus nos perturbantes. Talis enim perturbatio faciat animam nitorem. Hinc S. Chrysostomus, Animi passiones, inquit, seu affectiones, & morbi, animam efficiunt immundam, & patibilem reddunt animam, quae est immortalis: non quidem dum sunt in actu primo, sed in actu secundo, dum se per operationes produnt. Haec possibile est, inquit S. Dorotheus, omni carere passione, non operari autem illas, hoc vitique non impossibile est. Aliud enim peccatum, aliud affectus hi sunt, ira, cupiditas, prauas, & quaecumque eiusmodi. Peccata vero, sunt opera ipsa affectionum, quando quis agit, & ad actum corporis, trahit ea opera, quae sibi fuerint à passionibus suggesta. Et ita Dominus loquitur apud S. Damascenum. Ego opifex, figmento meo concupiscentiam induci, prouideq; naturalem motum minime erimino, & ceteri non eius, quod recte satum est radicem enello, verum ad vltimas corruptae stirpis fibras, elido & amputo. In quem sensum scribit S. Cyrillus Alexandrinus: Fieri non potest, ut insitam carnis concupiscentiam eradiceamus. Et, Prorsus à perturbationibus alienum esse, non est huius temporis, sed futuri saeculi. Possant tamen destrui, quoad earum actus aliquos, & circa destructionem eorum, profectus noster versatur, & secundo loco post euulsionem vitiorum, poni debet. Nam ut ait S. Gregorius: Perfectus quisque, cum in se vitia vicerit, statim mentem, etiam contra vulnera passionis accingit. Quod proprium esse Dei amicorum, dixit ipse Deus S. Brigitta: Amici mei & filij mei, preparant filio meo requiem, non in plumis ouium, sed in concordia virtutum, & in refrenatione malorum affectionum. Porro diligenter hoc loco notandum est, fugienda esse duo extrema circa doctrinam de passionibus, seu affectibus naturalibus.

Primo Stoicorum, & Origenis, ac eius sequacium Palladij, Euagrii & aliorum, ob id reprobatorum à S. Hieronymo, & quoad Stoicos, à S. Augustino & Tertulliano: ac à S. Climaco, quoad Euagrium, qui commendabat ἀπειρομαχος id est insensibilitatem quamdam affectuum humanorum, scilicet doloris, tristitiae, timoris & similitium, perfectam vacuitatem, ad quam putabant homines exercitio virtutum posse & debere peringere, quod S. Hieronymus (affectibus per se stare, Peripateticos & Academicos nouos & Ciceronem) confutat fuisse, exemplo Christi & Pauli: & S. Chrysostomus, exemplo Abraham, Isaacum oblaturi, qui sine vitio admittent

Aug. l. 9. c. 1. & in Plal. 107. Chryf. hom. de Passio. Lact. l. de tra Dei c. 6. Dam. l. 1. fid. c. 14. S. Thom. 1. p. q. 2. a. 1. ad. hom. 8. in c. 3. Co. 1. loff. Ser. fer. Doc. 1. Paul. c. 27. Ladu. Anthro. c. 1. de orat. in spirit. & c. 11. Reg. mo. Lad. An. c. 1. Terro. ada. Ho. mog. Hier. ep. 15. ad Creph. Aug. 114. c. 3. Climac. grad. 4. Barcon. 4. an. p. 11. orat. de B. Abra. Lib. Iacob c. 11.

Ep. 10.

67.

In Proc- mio & sect. 10.

1. cont. duas ep. Pel. c. 1.

apud Stob. set. 1.

Ibid.

68. Hier. ep. 8. ad De- metr. & ep. 56 ad Ctesiph. Greg. 1. 5. c. 11. l. 1.

Reg. & 6. mor. c. 27.

1. adu. Anthro. c. 1.

to. 1. h. 3. de lob.

69. In c. 5. Gal. v. 23.

tebant similes humanos affectus. Hi enim, ex innata nobis concupiscentia nascuntur, de qua sic S. Ambrosius: *Grauisima causa culpa conscientia; quam tamen ratio emollit & comprimit. Emollire enim potest, eradicare non potest, quoniam animus, qui est rationis capax, non est suarum passionum dominus, sed repressor*; seu ut solet loqui Theodoretus, in religiosa historia, *sopitor*. Quocirca solus Christus Dominus per se & ex se habuit, non quidem hac insensibilitatem, habuit enim affectus naturales, sed vt ait S. Augustinus, *resistentiam spiritui. non habuit in carne mortali*. Quod tamen & B. Virgini, & alijs quibusdam selectis seruis suis, etsi in gradu longe inferiore, concessit, vt paulo post videbimus. Ceterum aliquos Pythagoricos bene de humanis sensisse affectibus, certum est. Nam Theages Pythagoricus sic ait: *Quoniam virtus morum, circa affectus, & affectuum precipui, Voluptas & Dolor, liquet non in eo virtutem esse, vt eximantur affectus animo, sed vt modificentur & temperentur*. Et Archytas ex eadem schola: *Nascitur, inquit, ex affectibus virtus, & nata cum illis consistit, sicut concinna modulatio ex acuto & graui: item temperies ex calido & frigido. Non igitur tollere affectus oportet, sed aptare ad id, quod rationem Decoris & Mediocritatis habet*.

Secundo, fugienda est etiam, contraria doctrina S. Hieronymi eodem loco & S. Gregorij, qui, (nisi eorum verba, pie interpretemur, vt possumus & debemus) nimium tribuendo ingenitis naturae humanae affectibus, ad eos illis putant omnes obnoxios, vt etiam Sanctos omnes asserant, tum alijs non tangi tantum, sed molestè perturbari passionibus, tum in nocte, & alijs, ea pati, quae hominum sunt, & cogitatione aliqua vitiorum titillari. Quibus similia dicunt alij quidam cum S. Cyrillo Alexandrino dicente (dum differit de lege membrorum) *fieri non posse, vt insitam carni concupiscentiam eradicemus*: Hoc enim, etsi multi Sanctorum passi sint, certissimum tamen est, fuisse, & esse, & fore tales in Ecclesia, seruos Dei altissimi, quibus speciali beneficio gratiae suae, Deus magna pacem, in certis quibusdam naturalibus affectibus concessit: hoc est, quietem omnimodam a perturbatiuis, & inquietatiuis motibus naturalium affectuum, praesertim circa iram, gulam, & libidinem, rectae rationi & virtuti repugnantium, dum, vt de S. Iob asserit S. Chrysostomus, *concoris cum anima caro, ad pietatem trahit arastrum*.

Hoc testantur testes omni exceptione maiores. Imprimis S. Hieronymus, clarè alibi indicat, viros perfectos, esse liberos etiam ab illis cupiditatibus & cogitationibus malis, quibus non prebetur consensus. Inter modestiam, inquit, & continentiam hoc interest, quod modestia, in viris perfectis est consummataque virtutis. Continentia vero, in via quidem virtutis est, sed necdum peruenit ad calcem: quia cupiditates adhuc, in eius, qui se continet, cogitatione nascuntur, & mentis polluent primoi-

pale, licet non superent, nec ad opus petrabant cogitantem. Et S. Dionysius Areopagita, Epistola ad S. Ioannem Euangelistam in Pathmos relegatum, sic eum alloquitur: *Et te quidem, non aded insanus sum, vt arbitrer aliquid pati: imò & passiones corporis, hac tantum in parte sentire te credo, vt eas solam diiudices*. Suprà autem, de alijs similia, vitae beatorum caelesti conformia dixerat: *Alios, inquit, cernimus, hic iam Dei consortio & familiaritate beatos; quia ab affectu omni, materialium rerum, longissime secedunt, & in libertate malorum omnium (alia versio habet, & liberi ab omnibus malis) ex presenti, vitae futurae primitias sumunt, inter homines, Angelico more conuersati, cum omni tranquillitate animi, ac denominatione Dei & sanctitate, & reliquis virtutibus*. De S. Paulo Apostolo, scribit S. Gregorius Nyssenus ponderans illa verba Apostoli: *Mihi vita Christus est: Hisce, inquit, verbis, tantum non clamat Apostolus, nullam in se affectionem humanam viuere: non fastum, non timiditatem, non voluptatem, non dolorem, non metum, non audaciam, non iniuriarum memoriam, non inuidiam, non uindicta, auaritia, honoris & gloria cupidinem, sed his omnibus abrais, solus inquit ille mihi superest, qui nihil est horum, qui est ipsa sanctificatio, & puritas, & immortalitas & lumen & veritas; qui pascat inter lilia in splendoribus Sanctorum*. De alijs quoque similia, etsi non in tam excelso gradu, scribit S. Chrysostomus: *Nihil aliud graue, & asorbum est, quam in Dei offensionem incurre- re. Hoc sublato, non afflictio, non inuidia, non aliud quidquam prudentem animam; molestia afficere potest. Quin potius, quemadmodum, si exiguum scintillam in maximum pelagus iniicias, eam protinus extinxeris: eodem modo, molestia omnibus, quamlibet ingens, si in animam bene sibi consciam inciderit, confestim perit, & euanescit: eoque nomine Paulus etiam, perpetua, letitia fruebatur. Ad eundem modum, Patriarcha quoque ille (S. Abraham) in gaudio versabatur, tametsi multa grauia & acerba sustineret: quae ibi numerat & amplificat. Idem de S. Iob ibidem asserit. Et idem alio in loco S. Chrysostomus, vniuersaliter hoc ipsum asseuerat: *Antequam superna illa praestetur habitatio, caelum quodammodo fieri iussit Deus de terra: vt scilicet tales sint, dum in ea degunt, ita vt omnia faciant, & loquantur, quasi qui conuersentur in caelo. Denique pro hoc etiam esse Dominum deprecandum, (scilicet dum dicimus: Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra.) Nihil enim est, quod propter terrenarum rerum habitaculum, ad supernarum virtutum perfectionem, homines prohibeat peruenire. Est quippe possibile, vt in terrarum adhuc regione degentes, quasi iam in caelis habitent, ita cuncta perficiant*.*

De S. Martino scribit Seterus Sulpitius, Nemo vquam, Martinum vidit iratum, nemo morientem, nemo videntem: vnus idemque semper caelestem quodammodo letitiam, vultu praefrens, extra naturam hominis videbatur. De S. Francisco, scribit S. Bonauentura in eius vita; *Tanta in eo carnis ad spiritum*

hom. 15. in Cant.

h. i. in 2. Cor. in mor.

hom. 263. in Mart.

Dia. 1.

cap. 14.

spiritum erat concordia, tanta obedientia promptitudo, quod cum ille ad omnem nitetur sanctitatem peringere, ipsa non solum non repugnaret, sed praecurrete nitetur. De S. Catharina Senensi B. Raimundus in eius vita sic scribit: *Expers erat omnium passionum humanarum (scilicet perturbantium & inquietantium) aliis virtuosus communibus consuetarum. Nec per inflans, poterat à fervore charitatis, quoquo modo remitti, & idem, nec vana gloria vento nec vquam irrationali appetitui locus in mente illa poterat reperiri.* De B. Catharina Genuesi, Frater Matthæus Tanner, in proemio eius vitæ scribit: *Humanam fidem excedere videtur. B. Catharinam à tricesimo aetatis suæ anno, usque ad finem vitæ, nempe triginta & amplius annis, omni ad malum seu vitium inclinatione caruisse. Quod etiam ratione & exemplo probat, non esse incredibile. Sed videamus quid alibi in eadem vitâ scribat: Tam erat, inquit, vehemens & continuus ardor anime eius, ut præter naturales inclinationes, nulla ipsi tectatio appropinquare posset, si que usque ad finem vitæ perseveravit. Sed & illa naturales eius propensiones, forti eius reluctatione paulatim annihilatae sunt: dicebatque, nullo negotio, cuiquam tentationi resistere. Cum enim cor eius, puro esset amore succensum, nullis tentationum, nulla aduolandi, nedum inuolandi erat occasio. Pari ratione in operationibus, tam interius, quam exterius, nihil patiebatur difficultatis. Dulcis amor eius absolutus, anime, cordis, voluntatis, & omnium aliarum potentiarum ipsius, dominus erat, atque vniuersa in se, per verum amorem, penitus transformarat, idcirco vnus ipse in cunctis eam perpetuo regebat, & ducebat, &c. sensualitatis aliquid concupiscenti, ita sedulo & fortiter reluctabatur, ut postea nullius rei desiderio tangeretur. Si quippiam abhorrebat, velut saniam cadauerum & similia nauseabunda, eadem incunctanter ori ingesta, manducabat, & bibebat, & deinceps nullam prorsus sentiebat naturæ repugnantiam. Hoc pacto omnes sensus suos mortificauit. Et infra: Primis quatuor annis (quibus sentiebat lucram spiritus cum carne & passionibus) euolutis, vniuersa eius inclinationes fuerunt precepta, relicto illi habitu virtuoso, in omnibus, promptitudinem ac facilitatem prestante. Sic etiam passio timoris, dum imminet euidens mortis propinquæ periculum, conaturalis est hominibus, etiam perfectis: aliquibus tamen Deus dat, etiam timoris plenum dominium. Quando S. Antonius vidit duos leones ad se in eremo currentes, primùm exhorruit: deinde se colligens, mansit impavidus: quemadmodum scribit S. Hieronymus in vitâ S. Pauli primi eremitæ. Et S. Athanasius in S. Antonij vitâ tanquam rem admiratione dignâ recenset: quod nec demonum quotidianas congressiones expauerit, nec quadrupedum & reptilium feritati in solitudine cesserit, immobilem & tranquillam retinens animi firmitatem. Et S. Hilarion adhuc puer, in eremo se inuadentibus latronibus, & mortem ei minitantibus, dixit: se eos non timere, teste S. Hieronymo in eius vitâ. Et Ab-*

bas Theodorus, impetrauerat à Deo, ut auferretur ab eo formido: vnde interrogatus à quodam: *an si fiat subitò sonus ruinae alicuius timeret?* respondit, *Crede mihi, si calum terra adhaeret, Theodorus non formidat.* De S. Marcio scribit S. Gregorius, per triennium in suâ speluncâ solum cum solo serpente, & orantem & cubantem mansisse imperterritum & cubasse, orique eius manum & pedem extēdisse. De Nostro S. P. Ignatio scribit Ribadeneyra, cum ex Hispaniâ nauigaturus esset in Italiam, amicos contradixisse ac distulisse nauigationem, quod *Aenobarbus, nobilis Turcarum archipirata, Tyrrenum mare, validâ classe obsidere diceretur, sed Ignatius magnitudine periculi nihil commotus, nauim conscendit. Et quamuis ea nauigatio gratis ac periculosa fuerit, malo nauis disiecto, multisque armamentis, vi tempestatis vel amissis vel labefactis, spei nihil esse ad salutem videtur, ideoque se ad mortem omnes pararent: Ignatius tamen se diligenter excutiens, animamque suam perentans atque explorans, timere nullo modo poterat.* Beneficia sunt hæc Spiritus sancti speciali modo quosdam animas in thronum & domicilium suum, raris exornatum virtutibus, elegantis. Nam ut ait S. Macarius Aegyptius: *Animâ, quæ plene illustrata est ab ineffabili plenitudine gloriae; luminis vultus Christi, & Spiritus sancti repleta, ac digna, qua fieret domicilium, & thronus Dei, tota oculus, tota lumen, tota facies, tota gloria, & tota Spiritus euadit: nempe sic eam ornante Christi, gestante, agente, baiulante, & ducente illum, & hunc in modum illam instruente, & spirituali decore adornante. Et paulò post, applicans visionem Ezechielis, ad animæ, Deo plenæ, statum, ait: Quemadmodum animalia illa spiritalia, non pergebant, quocumque liberet, sed quò nouerat, & volebat is qui sessor erat, & dirigebat. Sic & in hac vitâ, cohibet ipse, & impellit, dirigens spiritus suo, ita ut proficiantur non pro arbitrio suo in calum cum voluerint: & abiecto corpore tractat, & impellit animam, sapientia sua, & rursum, cum voluerit, descendit in corpus, & in cogitationes, denud, cum liberit; in resurrectione quoque, pari corpora dignabuntur honore: animam interim, quæ spiritui mixta est, talem præsustante gloriam. Talem animæ statum ex diuinæ gratiæ beneficio prouenientem, S. Diadocus appellat, omnem indolentiam, quam gloria Dei operatur. Et alio in loco, explicans clariùs, quid illa sit, ait: esse vacuitatem turbidarum affectionum: quæ, si adit, mortem tanquam occasione vita prioris, tunc, magno cum gaudio expectari.* Neque sanè hoc impossibile videri debet. Nam fomes peccati, iuxta doctrinam S. Thomæ & Suarez & Vasquez, consideratus in actu primo, siue significet, ut vult Suarez, ipsam appetitum sensitium, ut coniunctum priuatiõni illius rectitudinis, & subiectionis, quam quædam per originalem iustitiam, in statu innocentia habebat ad rationem superiorem, ac prouide significet, appetitum sensitium, ut expeditum, & c.

pag. 4.

c. 5. vitæ eius.

cap. 15.

& quasi proximè dispositum, vt præuenire possit rationem, & contra illam moueri: duos habens effectus, inclinationem ad malum & difficultatem ad bonum: siue consideratus fomes peccati, in actu secundo, vt absolute putat Vasquez, sit actualis motio seu vitalis, & sensibilis affectio ipsius appetitus ad obiectum sensibile, rationi contrarium, ipsam rationem præueniens & ad peccatum trahens. Hic, inquam, peccati fomes, minuitur per sacramentum Eucharistia susceptum: vt docet S. Thomas. Cum autem in sanctis quibusdam, & magnis Dei seruis, Eucharistia suscipiatur, cum summâ dispositione, & deuotionis seruore, illius beneficio assequuntur, ne fomes tantas vires exerat (vt ostendat in Opusculo de Eucharistia efficaciam ad perfectum spirituale) quantas exerit in peccatoribus, & iustus tepidè Deo seruiuntibus. Deinde idem fomes peccati, minuitur per exercitium, præsertim heroicarum virtutum. Vnde S. Augustinus, *Concupiscentia, inquit, quotidie minuitur à proficientibus & continentibus*. Et alibi ait: *Desideria carnis, in aliis sunt maior, in aliis minor, prout quisquis in hominis interioris nouitate profecerit*. Et S. Thomas cum probans Christum non habuisse fomitem peccati, dixisset, id præstitisse gratiam & omnes virtutes, secundum perfectissimum gradum; etiam de aliis dicit: *quod quando virtus fuerit in aliquo magis perfecta, tando magis in eo debilitatur vis somniti*. Simili modo passionum nostrarum motus, dicit S. Augustinus, nobis ad meliora proficientibus, magis magisque minui: ideoque mirum videri non debet, quod de his Sanctis supra commemorauimus. De quibus, vt monet Cassianus, de simili argumento scribens: *Si quis voluerit veram proferre sententiam, & virum queant impleri desiderat experiri, festinet prius eorum propositum, simili studio & conuersatione suscipere: & tum demum ea, que supra voluntatem hominis videbantur, non solum probabilia, verum etiam suauissima deprehendi*.

Sed præter habitus virtutum, tum infusarum, tum acquisitarum in gradu heroico inhaerentes, (qui soli non sufficiunt ad impediendos motus passionum, ne exurgant, vt benè docet Suarius & Vasquez, & initio vsus rationis in ordinarijs hominibus esse non solent tam perfecti) maximè conducit, extrinseca Dei providentia, partim impediens, ne occurrant obiecta, quæ possent motus inordinatos passionum excitare, partim negans concursus, ad cogitationes, vel affectiones malas, etsi occurrant talia obiecta, ex quibus ea excitari possent. Præterea plurimum iuuant auxilia, Dei gratiæ excitantis, & præuenientis, ac adiuuantis hominem ad eliciendos actus bonos iis temporibus & occasionebus, in quibus, si mens illis occupata non esset, per obiecta appetitui sensitivo occurrentia, excitati fuissent motus inordinati passionum. Nam benè ait S. Bernardus:

Non habet quo se immisceat vanitas, vbi totum occupat caritas. Et his duobus vltimis modis potissimum, Deus aliquos Sanctos, etiam in ipsa pueritia, illustres hac in parte reddidit.

Sic S. Thomas Aquinas, postquam se cinctum ab Angelo persensit, ab omni tentatione carnali, deinceps immunis fuit. Sic B. Aloysius Gonzaga, totâ vitâ suâ, non tantum ab impuris motibus, & tentationibus sed etiam à scædis cogitationibus semper liber fuit, quemadmodum de eo iuratus, testatus est eius Confessarius, Cardinalis Bellarminus: & scribitur tum in vitâ B. Aloysij, tum in vitâ Cardinalis Bellarmini.

Talibus modis & ille castitatis gradus à Deo confertur, de quo scribit S. Ioannes Climacus:

si quis & in somnis, perfectam semper insensibilitatem, in corporum specie & veritate possedit, non tantum se vigilans, ita animata, sicut inanimata intueatur, & ita rationalibus & brutis corporibus afficiatur.

Nam vt scribit S. Antonius Abbas, disputans quomodo Spiritus sanctus membra & motus corporis, à malo auocet, & conuertat ad bonum: *Extinguitur, inquit, etiam motus ille, per virtutem Spiritus pacificantis totum corpus, & perimentis totum illum motum*, (quem supra dixerat, esse triplicem: Vnum à Naturâ, secundum à cibo & potu copioso, tertium à demone tentante) & addit: *astimo, quod talis habitatio (scilicet Spiritus sancti in corpore iusti, sic ab eo adiuti) in immutato per spiritum corpore, acceperit etiam in hac, partem quamdam spiritualis corporis, quam acceptura erat in resurrectione iustorum*. Et verò ita est. Quia vt docuit S. Macarius, huius S. Antonij discipulus: *Gratia diuina, cor regit, ac moderatur vniuersum organum corporeum, & si parsua corporis occupauerit, omnibus membris & cogitationibus imperat, & per omnia membra corporis graditur*. Et infra: *Sunt, inquit, alij, in quibus libido prius desit, extincta est, & arefacta: sed ij, summorum virorum sunt gradus*. Et hanc ob causam idem alibi ait: *Seruis Dei, abundantem gratiam, non tantum desideria, que à diabolo suggeruntur, exficcare, sed etiam naturalia: & nunc viros Dei, præstantiores esse primo Adam: nimirum, quis is post peccatum commissum, sensit rebellionem carnis, quam Scriptura exprimit, per agnitionem suæ nuditatis, à quâ multi sancti fuerunt vel semper, vel diu liberi, singulari Dei gratiâ adiuti: qui tamen alios passionum affectus experiebantur contra Stoicorum impatibilitatem*.

Porrò S. Climacus, impugnauit hanc Stoicorum à Sanctis reiectam insensibilitatem: & in Euagrio eam improbauit ei fauenti: vt benè defendit Climacum Baronius. Similibus signis describit perfectam Castitatem Cassianus, & apud eum Abbates varij & experti. Et de S. E. quitio narrat S. Gregorius, & id solere à Deo dari dicit S. Bernardus. Et tamen hæc passio omnium maximè est difficilis expugnata, vsque aded, vt S. Diadochus scriptum reliquerit, post

vniversa, i. e. huius

71. 3. p. q. 79. a. 6. ad j.

1.1. de nupt. & concup. c. 25. & 27. 1.2. cont. Iulian. c. 5. & 8. 3. p. q. 15. a. 2.

1.2. cont. Iulian.

72. Præfat. in decem Collat.

Suar. to. 2. in 3. p. disp. 4. sect. 7. Vasq. to. 2. in 3. p. disp. 118. c. 3. n. 31. & disp. 131. c. 7.

Ser. 18. in Cant.

73.

1.1. c. 6. Cepar. 1. 6. c. 22. Pet. San. gr. 15. post inuit.

74.

ep. 1. ad suos fratres to. 4. Biblioth. SS. PP.

hom. 15.

hom. 16.

Gen. 3. 10.

75.

to. 4. an. ann. 288. Coll. 6. c. 10. 20. 22. Coll. 7. c. 2. Coll. 12. c. 7. 11. 12. 16. Coll. 15. c. 10. Coll. 19.

Greg.
dial. 1. 1.
c. 4.
Bern. ser.
de verb.
Sap. t. 2.
S. Thom.
S. Diad.
c. 99.

vniuersas ferè passiones, ab homine Dei victas, duos remanere demones luctantes cum eo: quorum vnus quidem turbas facit anima, dum ita eam ab amore Dei, ad importunum zelum traducit, vt nullum alium aquè, atque se Deo placere velit; alterum verò corpori, dum illum, ad desiderium rei veneræ, incendij cuiusdã operatione mouet. Hoc autem corpori accidit, primum quidem, quia hac voluptas, propria est natura, vt pote ad generandum insita, quamobrem facillè corpus superatur: deinde quia cedit Deus. Cùm enim aliquem, in numero luctantium, multitudine virtutum excellentem esse videat, permittit enim quandoque, ab eiusmodi demone sedari, vt existimet, se omnibus viuentibus viliozem. Benè, dixit S. Diadochus, quandoque, magna virtutibus præditos per hac infestari à demone, sed nec semper, nec sæpè, nec omnes viri coram Deo magni, talibus impugnantur telis.

76.
t. 2 q. 61.
2. r.
Macr. c. 8.
Plot. En.
neade 1.
1. 2. c. 3.

Quocirca S. Thomas, describens virtutes cardinales, & Plotino Platonico, appellat purgati animi, sic eas deleribit. Quod prudentia, sola diuina intueatur: temperantia, terrenas cupiditates nesciat: fortitudo, passiones ignoret: iustitia cum diuina mente perpetuo societur: eam scilicet imitando. Quas quidem virtutes, dicimus esse Beatorum, vel aliquorum in hac vitã perfectissimorum. Quin & virtutes, quas eodem loco vocat. Purgatorias, prout eas ibi explicat, à passionibus non inquietantur.

77.
In præl.
rel. hist.

Quod non difficile credetur à quouis, si obseruauerit præclarum Theodoretum monitum, qui scripturus in religiosã historiã, multa Sanctis diuinitus concessa dona admirabilia, rogat, ne ijs qua dicuntur, minus credant, si quid audiant, quod eorum vires superet; nec ex se illorum virtutem metiantur: sed aperte sciant, quod piorum animis, Deus desuper metitur dona sanctissimi Spiritus, & maiora largitur perfectioribus: illis nimirum, qui, vt supra dixerat, imitantur vitã institutionem, qua agitur in calu. In quibus nulla viget passionum perturbatio, sed beatæ mentis cum summã iucunditate tranquillitas: seu vt loquitur S. Gregorius, imperturbatio cogitationis. Et hoc sentiu intelligendus est S. Bonauentura, cùm S. Franciscum in eius vitã scribit, ad terrena foris desideria, per Christi charitatem, totum esse insensibilem factum.

hom. 18.
in Ezech.
c. 10.

Et propter hanc fortassis tranquillitatem mentis, qua sequitur refrenationem perfectam passionum nostrarum, ac plenum in eas dominium, dicit Clemens Alexandrinus, homines Deo charos, & genere vitæ laudabiles, per totam vitã, diem festum agere, & omnem eorum vitæ cursum, esse celebrem quemdam, & sanctum diem festum, scilicet, ab inquietudine & laboribus liberum, quos adferunt alij, non refrenati affectus & perturbationes passionum.

1. 7. Stro.
18. 5. 17.
5. 2. 8.

Quas qui refrenant, & cum vitiiis rationi subigunt, illos S. Dorotheus vocat iuxta Apostolum, mundo crucifixos: quia nimirum, vt idem ait, carnem suam crucifixerunt, cum vitiiis & concupiscentiis: quæ verba, potissimum religiosis con-

Doct. r.
Gal. 5. 14.
Gal. 5. 24.
ep. 63. ad
Cleric.
Neocæs.

uenire, dicit S. Basilius. Qui ergo proficere vult, non tantum crucifigat vitia, seu peccata, sed etiam motus inordinatos passionum, rationi repugnantium. Nam vt ait S. Bonauentura, Renunciatio nostra voluntatis, tres habet gradus: Primus est, resistere vitiiis: qui est status continentium: Secundus est, passionibus imperare, & pace frui: Tertius, Deo adherere & vniui, quando iam virtutes transiunt in affectum cordis. Hac occasione.

Notandum est primò, Tyronibus, refrenationem passionum, & inordinatorum motuum, qui à passionibus procedunt, non oriri immediatè à virtutibus, quæ vocantur à Theologis infusæ, sed à virtutibus acquisitis, quæ per actus virtutum vniuocos acquiruntur. v.g. patientia, per actus patientiæ: deuotio, per actus deuotionis, & sic alia.

Notandum est secundò, habitus, seu virtutes infusæ, dari à Deo, non ad facilitatem operandi actus suos, sed ad substantiam ipsarum operationum. Virtutes verò acquisitas, dare facilitatem, & promptitudinem operandi. Et idè augmentum habituum, seu virtutum infusarum, non potest cognosci per experientiam, & quasi per sensum quemdam experimentalem earum, quia per se & formaliter, nec mortificant passiones, nec excludunt acquisitos habitus vitiorum, nec venialia peccata impediunt, quæ tria, præstant habitus virtutum acquisitarum. Vnde fieri potest, vt homo per Sacramentorum frequentiam, multum in gratiã crescat, & in virtutibus, quæ cum eã infunduntur, in ratione viuendi & exercendi virtutes, non admodum mutetur, nisi accedat incrementum virtutum acquisitarum, per frequentatos earum actus, vt inter alios Theologos obseruauerunt Suarez & Vasquez, & docet expressè S. Thomas. 1. 2. q. 65. art. 3. ad 2.

CAPVT QVARTVM.

Quæ sint signa, & gradus profectus, in moderatione Passionum.

Primò. Si passiones naturales, etsi vehementer nos infestent, numquam nos ad ostendendum Deum, vel proximum perducant. Cuius rei semper est periculum, dum passiones naturales commouentur. Reperire licet fontem, inquit S. Macarius, aquam puram emittentem, in quo lutum subiacet: cùm verò quis lutum commouerit, totus fons perturbatur: ita anima, quando perturbatur, maculatur & permiscetur vitio: nisi reprimat passionum impetus. Sic represserat S. Pachomius, qui à fratre, insolitã auditiã iniuriã, grauiter quidem tulit, verum tamen, nihil omnino ei respondit: sed mansuetè sustinens, sese continuit. Cæpit tamen, orando, se incusare, quod eum, modo meror vexet: modo furor exagitet: quamuis iure ac merito.

meritū videatur irasci. In imperfectis & incipientibus, ait Philo, nasci affectus, pungentes animam & cruentantes: scilicet, per lapsus in vitia prauis actibus introducta. Nam vt benē dixit Epicteus apud Atrianum; Quando irā per motus fueris, pro certo habes non modō presenti te malo hoc laborare, sed etiam quōd eius affectus habitum in futurum aueris, & quasi in ignem sarmenta coniceris. At addictis profectui in virtutibus, contrarium accidit. Quique propinquorum, inquit S. Gregorius, debet ne estis tibus compati, vt tamen per compassionem non sinat vim sue intentionis impediri, vt affectus quidem, mentis viscera replcat, sed tamen à spiritali proposito non auertat. Qui ita passionibus resistit, iudicio S. Diadoci, potest vocari, vacuus passionibus. Vacuum esse passionibus, inquit, non est, non impugnari à demonibus; alioquin, oporteret nos, sicut Apostolus ait, exisse ex hoc mundo: sed illud potius, ab illo impugnatum, non expugnari. In bellatores enim ferro armatos, iaciunt hostes sagittas, audiuntq; ipsi iactus telorum; imò omnia serē tela, in se emissa cernunt, non tamen feruntur, propter armorum, quibus induti sunt, duritiam. Hoc autem præstat vigor virtutum, (præter alia Dei auxilia) in alto gradu acquilitarum. Ideò apud Cassianum, Abbas Moyles, pro acquirendo corde perfecto & mundissimo, & custodiendo intacto à cunctis perurbationibus, virtutes debere nos suscipere nouerimus; vt scilicet per illas, ab vniuersis passionibus noxiis illisim (peccata autem sunt quæ lædunt) parare cor nostrum, & conseruare possimus, atque ad perfectionem caritatis conscendere. Hoc ipsum S. Ambrosius: Fieri, inquit, non potest, vt facilius ad iracundiam non irascatur: sed vt ratione se temperet, indignationem cohibeat, ac puniendo se renouet, sicut & Propheta nos docet dicens: Irascimini & nolite peccare. Concessit, quod natura est; negauit, quod culpa est. Quā de re plura ibi pulchre prosequitur ante finem capituli. Irasci, hominis est: & iram non perficere, Christiani inquit S. Hieronymus. Qui ita passiones suas frenatas habent, ne peccent earum impulsu, affecuti sunt, vt sapienter dixit Plato, triumphum virtutum: qui est, habere peccatum in potestate, & virtutem in voluntate.

82. Eximium huius rei exemplum edidit Rex Daud, qui tor iniuriis à Saule affectus, quamuis illum posset occidere, pepercit tamen, nec impetui iræ obediuit, quamuis, vt ponderat S. Chryostomus, sciret, se hostem in suam ipsius perniciem dimittere, ac salutem dare inimico, & haberet multa, ad eam cadem impellentia. Etenim solitudo Regis ob absentiam eorum, qui possent Saūli esse auxilio: dein exhortatio militum suorum, ad eum occidendum: preterea, anteaكتورum memoria, & futurorum metus. At horum incitamentorum nulli cessit, sed adamantiu inuicti more, persistit, philosophie moderationisq; legem seruans. Caterum ne dicas, eum nihil eorum sensisse affectuum, quales nos illi per coniecturam tribuimus, sed id quod accidit, non fuisse philosophiam, sed stuporem: considera, quā vehementer exaspera-

tus, sibi temperavit. Siquidem, quod iracundia fluctus, in animo illius intumuerunt, multaque cogitationum iactatio concitata fuerit, sed eam tempestatem, refrēnari timore Dei, animosq; represserit, ex iis, que facta sunt, perspicere licet. Surrexit inquit, & abstulit oram chlamydis Saulis clanculum. Vides quanta ira tempestas coorta fuerit: At non processit ulterius, neque fecit naufragium, eò quod gubernatrix, illud sentiens periculum, videlicet pia ratio, tempestatem vertit in tranquillitatem. Percussit enim, inquit, Daudem cor ipsius, ac velut equum subsilentem, & ferocientem, reuocauit iram. Huiusmodi sunt sanctorum anime, priusquā ad peccatum veniant refrēnantur, eò quod sobria sint, semperq; vigilent.

Cū autem à Philosophis enumerentur vndecim Passiones, & à S. Augustino, S. Damasceno & S. Thoma, Amor, desiderium, delectatio, odium, fuga, tristitia: & sunt in potentia concupiscibili, alia verò in irascibili appetitu, (quem S. Basilus appellat, neruum animi, ad res fortiter, constantēq; gerendas) sunt: spes, desperatio, audacia, timor & ira. Inter has, potissimum quatuor habendam rationem, ait S. Bernardus, scilicet, Amoris, timoris, gaudij & tristitia: ne scilicet vllā re moteantur, nili Deo, & rebus Deum concernentibus, quas penitius explicat sermone sexto: Vel vt alibi ait: cogendam esse iram, metum, cupiditatem & gaudium, & veluti quemdam animi cursum, ab aurigā regendum, & in captiuitatem redigendum, omnem carnalem affectum, & carnis sensum, ad nutū rationis in obsequium virtutis. Sic & Aristoteles, lib. 2. apud Clementem Alexandrinum, dicebat: Stom. Exeritatione magnā, & pugnā opus esse, ad tetrachordon, voluptatem inquam, & dolorem, & metum, & cupiditatem.

Secundō, profectus circa passiones cernitur, si non sint passiones vehementes, vt atreā, sed mitiores, quæ, etsi non ad peccatum, tamen in peccati periculum adducunt, propter nostri perturbationem, aut incitationem: quæ, si vehemens sit, etiam circa res exiguas & viles, valdè obest profectui, ni comprimatur statim. Nō numquam & abiectius est, quod desiderat, & tamen ipso actu immensi desiderij, deterius peccat, inquit S. Gregorius. Sic Esau ius primogenituræ perdidit: quia, vt ibidem ait S. Gregorius, magno actu desiderij vilem lenticulam concupiuit. Restringendus est ergo æstus vehementium, & velut ardentium passionum.

Profectus noster, inquit Plutarchus libro citato, ea, que nimia sunt, primò tollit, acrimoniamq; affectuum minuit, ad quos, (vt est apud Sophoclem) incontinentes furioso feruntur impetu. Suprà autem dixerat, profectum, non vacuitate affectuum, sed remissione quadam & mansuetudine eorum desinendū esse. Atque ita S. Diadochus, differens de humilitate eius, qui ad perfectionem appropinquat: Tametsi, inquit, quā omnia regna mundi ei offerat, neque superet, neque admiratur, neque prorsus vehementia iacula peccati sentit: Tota namque spiritalis

V v v facta,

1. de alleg. leg.
Art. 1. c. 18.
17. mor. c. 14. al. 18.
cap. 98.
Coll. r. c. 7.
I. de Tac. c. 1.
Psal. 4.
epist. 9.
82.
hom. de Dauid & Saule to. 1.

1. Reg. 2.
S. Aug. 1. 9. ciu. c. 4.
S. Dam. 1. 2. fid. c. 12.
S. Thom. 2. 2. q. 23. S. Basil. hom. 10. de Ira, serm. 2. in capite ieiunij. ser. 85. in Cant.
S. Thom. lib. 2.
Stom.
I. 30. mortal. c. 23. al. 27.
83.
84.
cap. 54.

85. *facta, honores & glorias ad corpus pertinentes nescit, scilicet anima. Idem autem iudicium est, de alijs hominis affectibus & perturbationibus, quoad profectum. Sed ne ille inducant ad peccandi periculum, ipso initio dum exurgunt, validè eis resistendum est. Quando parvam animi perturbationem susceperis, monet S. Chrylostomus, ne eam neglexeris quod parva sit, sed considera, quanta mala pariat: sicut si in domo, parum aliquid stuppe accensum viderimus, conturbamur, & tumultum movemus. Non enim attendimus initium, sed ex initio finem considerantes, movemur & concurrimus, ut totum caminum extinguamus.*

In Pl. 6.

86. *Quà tamen in re hoc observandum est, me loqui de ordinario rerum spiritualium cursu, qui communiter accidit, & in ordinarijs servis Dei, valdè etiam proficientibus reperitur. Alioqui solet quandoque Deus, non quidem omnes, sed nonnullas, exercere internis afflictionibus gravissimis, permittendo in illis, non quidem semper, sed pro certo tempore, vehementes passionum naturalium motus, valdè illas perturbantes in inferiore parte, & superiorem quoque vehementer inuadentes, ad dandam eis occasionem meritorum, & ad faciendum experimentum eorum virtutis & constantia, ut scribit S. Diadocus. Sic S. Franciscus, per biennium, gravissimo mœore contabescebat, ut celare eum nequiverit, sed exterius prodiderit, & videbatur derelictus à Deo; ideoque versari cum Fratibus non potuit, sed dum se ab eis se iungeret, magis inualecebat passio tristitia, quam nec cilicio, nec oratione superare valebat. Idem passa est S. Teresa, uti scribit in eius vitâ noster Pater Franciscus Ribera, & ipsa Sancta de se testatur in vitâ suâ. Imò & demon Sanctos exagitare solet passionum molestiis Deo permittente. Nam ut ait S. Ignatius in libro Exercitiorum: Homines, qui se à vitis & peccatis purgandos, curant sollicitè, & in obsequij divini studio, magis ac magis indies promouent, immittit spiritus malignus molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas, & alias id genus perturbationes, quibus profectum illum impediatur. Iuxta illud S. Augustini:*

1. p. Chro. li. 2. 59.

1. 4. c. 17. & 15. c. 30. Reg. 1. i. heb. de morib. discern.

1. de continentia c. 2.

Ruff. 1. 3. Vir. PP. a. 174.

87. *Tertio, profectus in passionibus cernitur, si etiam non vehementes, raræ sint, & non frequenter inuolent, imò ne quidem inquietent, sed quasi speculatiuè exurgant nullâ in nobis relicta perturbatione. Tales erant passiones in*

vito sanctissimo Bernardo, qui in quodam sermone fallus est, se dolere obitum fratris sui viri sancti Gerardi Monachi, & sine lacrymis ei iusta perfoluisse: addit tamen, Non potui imperare tristitia, qui potui lacryma. Sed tristitia illa, erat, velut speculativa, & sine inquietudine, dulcis.

Hoc inter signa profectus, ponit etiam Plutarchus lib. citato: *Vbi non frequenter eius/modi auersiones accidunt, animusq; tamquam fuga, celeriter aduersum eas sese obiciens, & efferens, facile molestanti agritudinemq; dissipat, existimandum est, profectum probè esse confirmatum.* Democritus apud Laërtium, finem vitæ humanæ ponebat in & tranquillitate, per quam intelligit statum animæ tranquillum, eum à nullâ passione perturbatur. Quod hi assequuntur, qui serid, ut ait S. Gregorius, vniuersæ trice morte, quotidie vitam passionis in se occidunt. Tales erant & ij, quos describit S. Dionysius Areopagita: *Liberi ab omnibus malis, Dei amore impuls: qui ab hac vitâ principium futuro capiunt: cum inter homines, Angelorum vitam imitentur, in omni tranquillitate, & Dei nominis appellatione, id est, quasi diuini quidam homines, ob id appellari digni.* Talis erat S. Antonius Abbas, de quo S. Athanasius in eius vitâ hæc scribit: *Nihil in illo indecens, solitudo nihil asperum: quotidiana cum hostibus bella contulerant: sed temperata mens: equali ad cuncta ferebatur examine: numquam hilaritate nimia resolutus in risum est: numquam recordatione peccati, tristitia ora contraxit.* Tales commendat Theodoretus in Proœmio religiose historię, qui cū diuine pulchritudinis, essent ardentes amatores, & pro eo quem amabant, omnia lubenter & agere & pati statissent sori & generoso animo, tulerunt afflictionum, perturbationumq; impetus. Diaboli autem procellas, strenuè repulerunt. & ut dicam apostolicè, cum corpus castigasset, & in seruitutem redigisset, ira quidem ardorem sedauerunt, cupiditatum autem rabiem quiescere coegerunt. Ieiunando autem & humi cubando, sopitis animi moribus, repressisq; eorum exultationibus, coegerunt corpus, sedus inire cum animâ, & soluerunt bellum, quod est eum à naturâ insitum. Pace autem sic inter se iniã omnem aduersariorum cateruam expulere. Nam cum eis deessent cogitationes, qua interna proderent, & membrorum humanorum auxilio priuati essent, bellare, non poterant. Idem alibi scribit: *Dauidem scilicet Eulebij discipulum, tantum sub eius instigatione profecisse, ut per 45. annos in monasterio, gubernans 150. personas, essi essent innumerabilia, qua eum irasci coegerent, absque irâ & exandescentiâ, toto hoc tempore vixerit, & manserit immobilis, tamquam incorporeus, sine vllâ vultus immutatione: non tantum non concedendo iræ, vt non vltra solis occasum, sed tantum vsque ad vesperam; sed nec vt moueretur quidem, omnino permittendo.* De B. Laurentio Iustinianiano, in eius vitâ scribit eius nepos Bernardus: *Idem vbique erat, numquam eum quisquam aut letitia exhilaratum, aut irâ commotorem, aut solutiorem remissione animi, videre potuit. Non vllum denique vestigium metus, cupiditatis, doloris, voluptatis.*

Notæ

1.1. c. 4.

Const. Moast. c. 5. Doct. 1. euf. 1.

89.

In Pf. 18.

pag. mihi 17.

Noster quoque (vt alios multos omittam) P. Ioannes Baptista Piscator, tam excelsi erat animi, vt nullo vnquam casu, siue lato, siue tristiti, colorem mutasse visus sit, numquam tristitia contractus, vti scribit in vitâ B. Aloysij P. Ceparij. Quantoperè autem conferat ad profectum & perfectionem, talis passionum frenatio, indicat S. Basilius. *Perturbationum compressio, animi pax est, atque tranquillitas: animi verò tranquillitas, nihil aliud, quam virtutum secundissimus fons.* Et de tali tranquillitate, loquitur S. Dorotheus, eam appellans duobus in locis illius sermonis. *Impassibilitatem, & homines eâ præditos, impassibiles:* cum ait, SS. Antonium, Pachomium, Macarium, ceteroque Desidero Patres, post sacrum Baptisma, non solum à passionum operationibus, & actibus abstinuisse: sed passiones quoque ipsas radicibus euellere, & impassibiles omnino (scilicet cum perturbatione) fieri studuisse. Et infra ait. *Si oderimus in primis voluntatem nostram, sic breui, diuino presidio, ad impassibilitatem animi perueniemus.*

Quod, non de Stoicâ & Origenitarum impassibilitate, intelligendum est, siquidem initio eiusdem doctrinæ dixerat; *possibile non est, omni carere passione.* Sed de passionibus animi, perturbantibus quietem: quales, Dei auxilio, possibile est non habere: vt constat ex vitis supra memoratis, Sanctorum quorumdam.

Simili loquendi modo, vltus est Theodoretus, initio Proemij ad suam religiosam historiam: dicit enim, se de iis scripsit, qui in corpore mortali, & patibili, ostenderunt impassibilitatem, & incorpoream emulati sunt naturam. Quo in loco, non Stoicâ impassibilitatem intelligit: paulò post enim asserit, eorum naturam, innumerabilibus plenam affectionibus fuisse: sed victoriam de illis retulisse mentem, per diuinam, quam attraherat gratiam, & sortis ac generoso animo, tulisse affectionum, perturbationumque impetum, iræ ardorem sedasse, cupiditatum autem rabiem quiescere coegisse: scilicet consecutos esse, tranquillitatem Sanctorum, qui nullâ passionum perturbatione inquietabantur, ob profectum in eas (quod Dei beneficio acquisuerant) dominium. Talem animæ statum, S. Basilius appellat pacem, quam Dominus suis dedit discipulis, exuperantem omnem sensum, & quam Apostolus apprecatur Ecclesijs, dicens: *Gratia vobis & pax adimpleatur: eamque, esse dicit, inter benedictiones diuinas speciem vnam, mentem procul omni intemperie constabilem aded, vt pacificus vir, hoc insigni, tanquam proprium notis internosci possit: siquidem sedatis est & peramanis moribus.* Et in Psalmum 32. ait, *eum qui sui compos imperiosusque sit, rectè vocari posse regem.* Qualem animi statum & pacem in S. P. N. Ignatio fuisse, agnouit Sacra Rota Romana & postea Cardinales sacrorum Rituum, in Relatione datâ Gregorio XV. pro eius Canonizatione, vbi sic legimus: *Ex his oriebatur, illud magnum gaudium spirituale, quo hic Dei seruus, plane repletus, & refertus erat: illa serenitas,*

quam semper in vultu præferebat: illa pax interioris animi, & illa potestas ac ditio, quam in suos motus & perturbaciones obtinebat. Et infra. *Commotionum sacrarum, & perturbationum, vti diximus, dominatû obtinuit perfectissimum.* Et quidem, in grauissimis occasionibus persecutionum & iniuriarum; quibus magnos aliquos Sanctos fuisse vehementer perturbatos, eorum acta & Epistolæ testantur, & Annales Ecclesiastici Baronij. De S. Patre tamen Ignatio, Sacræ Rotæ Auditores, & Cardinales sacrorum Rituum, contraria testantur: *Laetitiam, inquit, & iucunditatem percipiebat ex laboribus, incommodis, ignominis & persecutionibus, quas pro Christo & iustitiâ patiebatur.* Et infra: *Laetitia perfruebatur cum aliquid aduersus suam ipsius personam, & honorem fieri cernebat: beneficia in illos conferbat, à quibus fuisse iniuriis appetitus.* Et infra. *Si aliquid aliquando contra suum honorem fieri animaduertere, id ipsi ardebat maxime.*

Quartò, signum profectus est, si passionibus naturalibus, quæ aliàs nos ad mala disponebant, vel inclinabant, nunc semper ad bonam tantum vtamur, & iis, veluti gladio Goliath, naturæ vitiatæ, & diabolo reddamur terribiles. Hoc profectui vacantium est proprium. Apud nos, inquit S. Augustinus, *in xra scripturas sanctas, sanctamque doctrinam, ciues sanctæ ciuitatis Dei, in huius vitæ peregrinatione, secundum Deum viuientes, metuumt, cupiuntque, dolent, gaudentque.* Et quia relictus est amor eorum, *istas omnes affectiones rectas habent.*

Quintò, si recte rationis ductu, non passionis, hoc est, mero affectus naturalis impulso, ad res non malas, sed indifferentes feramur, vti sunt, conuersationes cum hoc, & non cum illo: mansio hoc in loco, non illo: occupatio circa hoc, non illud. Bene ait S. Hieronymus, et si ad aliud citans Sixti sententias, *Sapiens vir, iudicio debet amare, non affectu.* Hoc est, rationabile obsequium, quod Paulus exigit, dum, nimirum, vt explicat S. Basilius, consideratè sanâ ratione, eam duccem sequimur, non animi impetum. Et S. P. N. Ignatius, vt scribit Maffeus, ne quidem pietatis gustum, sed rationis ductum præcipue sequatur, vt non rationem dulcedo præret, sed dulcedinem ratio. Hoc enim aiebat, vno, maxime bellus hominem antecellere, quod hi ratione vtantur, ille nequaquam. Atque ita Plutarchus lib. cit. cupienti agnosce-re in virtute profectum, iubet inquirere: *An cunctanter magis, quam temerè ad agendum accedat.* De B. Laurentio Iustiniano scribit oculatus testis, eius nepos Bernardus: *Erat verborum actio-numque tanta mensura, vt, si inferiora hæc celestibus conferri fas est, vix ego motus calorum, & reuolutiones & gyros agi maiori ordine atque mensurâ crederim.*

Sextò, si nunc mînis nos perturbent, quam solerent antea, initio conuersionis nostræ. Talis erat S. P. N. Ignatius, qui, et si naturâ iracundus esset, & in sæculo pateretur motus huius pas-

pag. 19.

pag. 11. 10. 11.

90.

114. Ci- uir. c. 19.

91.

1.1. cont. Iouin. extremo; Rom. 12.

1. Bas. in bren. reg. 230.

1.3. c. 10.

c. 7. vitæ.

92.

fionis, post suam tamen conuersionem, etsi perpetuò premeretur persecutionibus ubique locorum, ita tamen hanc domuit passionem, ut propter summam lenitatem, quam in omni sermone, vitæ quæ consuetudine, adhibebat, frigidus ipfis medicis & phlegmaticis videretur, ut scribit Rhabadeneyra in eius vitâ.

1. s. c. s.

Hac de re ita scribit Plutarchus lib. cit. *Molestia & mansuetudo*, ubi colloquia neque certandis studio incipit, nequè tum irâ finis, neque vel in refutando contumeliam adhibes, vel te refelli iniquis sers, nota est non pœnitendorum profectuum: Ostendit hoc Aristippus, qui quondam in congressu, sophisticâ fraude circumuentus, ab audaci hominè, alioque stulto & furioso, cum videret eum exultare, atque fastu tumere: Ego quidem, inquit, abeo, suauis res, qui me refelleris, dormiturus. Et post multa, cum docuisset, ad indagandum profectum, examinandos esse affectus, monet, eos inter se comparandos esse: An cupiditates, metus, iraq; nos quam olim remissius nunc tenent, an celeriter, ratione incendium eius & excandescentiam restringamus. Et infra: Non iam ut antè vehementer perturbari, aut rubore perfundi, aut occultare, vel transformare aliquid suorum, viro illustri gloria & virtute subito interueniente, sed constanti animo, ei obuiam ire, conscientia quamdam habet confirmationem.

93.

Septimò, si exurgentibus contra rationem affectibus statim & generosius, quam antea, resistitur, & homo se ipsum vincit, signum est magnum profectus. Non profectum est, tardè & languidè resistere. Quantò magis anima profecerit, inquit S. Dorotheus, tantò fortior & robustior efficitur, & ad quatuor molesta ferenda validior, quemadmodum si fuerit iumentum aliquid validum, quod magnum onus impostum, commode, quietè, gerat, si forte fortuna conuenerit, ut pedibus offendant, labaturue ita confestim excitatur, ut vix offendisse aut impegisse sentiat. Quid si iumentum fuerit inualidum, ac debile, quouisionere vel leuissimo grauatum succumbit: & si ceciderit, non mediocri opus est auxilio, ut subleuetur, excitetur.

Rom. 7.

Et ut idem Sanctus alibi ait: Qui in principio vim sibi ipsi fecerit, atque pugnantè persistit, paulatim sanè proficiet, ac deinceps pace bonâ & quiete perfruatur &c. Proinde quidam ex Patribus frequenter dicere solebat: Da sanguinem & accipe spiritum: hoc est, certa, contende, enitere, & habitum procul dubio virtutis acquires. E contra, vult & non vult piger. Tepidus, tenendo repellit, & repellendo tenet, ut loquitur S. Gregorius.

ferm. 10.

Prou. 13.

4.

Talem se fuisse deplorat S. Augustinus, dum non responderet Deo excitanti & dicenti: Surge qui dormis: nisi tantùm verba lenta & somnolenta: Modò, ecce modò, sine paululum. Sed modò & modò, non habebant modum: & sine paululum, in longum ibant. Verùm qui generosè procedunt, proficientes in virtute, resistunt acriter omnibus inordinatis passionibus: Grandis virtutis est, secum pugnare quotidie, & inclusum hostem, Argi, ut fabula ferunt, cœnum oculis obseruare, inquit S. Hierony-

94.

hom. 1.

in Ezech.

1. 8. con-

fess. c. 5.

mus. Ideò Noster S. Xaverius, ut scribit Tuseletius in vitâ eius, spectari virtutem iubebat ex suis victoriâ, & turbulentorum animi motuum cupiditatibus, sedatione, magis, quam ex specie quadam pietatis, lacrymis, suspiriis, acriq; corporis vexatione, &c. Quæ de re, P. Gaspari Barzæo, præcepit in hunc modum: Quos ad Societatem aggregaueris, in impotentibus animi motibus, cupiditatibusq; edomandis, magis exerceas cœso, quam in corporis afflictionibus, nouisq; eius generis inuencis. Et socios identidem admonet, ut semet paruis in rebus vincere assuescerent, ita deum magnorum certaminum fore victores. Itaque ipse hanc, quam alius præcipiebat, rationem fecutus, omnes animi motus, domitos compressosq; in sua ditione ac potestate habuit. Hinc illa perpetua mentis tranquillitas, & idem semper vultus. S. P. N. Ignatius prætulit Nouitium vnum se vincentem in refrenatione passionum, alteri magis composito, & deuoto: ut scribit Massæus in eius vitâ.

1. 3. c. 6.

95.

Porro in moderatore passionum, initium capiendum est ab eâ, quæ fouet gulam, & somnum, maximè gulam. Nam ut experientia docet, & Cassianus: Qui non quærit passionem, in propatulo sitas (qualis est, in moderato cibi appetitu, de quo ibi sermo est) paruasq; compefcere, quemadmodum occultas, nullog, hominum teste prurientes, moderatrice discretionè, poterit debellare: Et idcirco per singulos motus, & in quolibet desiderio, robur animæ comprobatur: quo si in minimis aperitisque cupiditatibus superatur, quid in maximis ac fortioribus, occultisq; sustineat, vnicuique conscientia sua testis est.

1. 3. c. 10.

96.

Ne autem passionum impetus, & animæ & profectui in virtutibus obstant, quam primùm eæ refræandæ sunt: nam si per nostram (ocordiam insualeant, ægrè reprimuntur. Sicut paruo lapide submoto, inquit S. Gregorius Nazianzenus, flumen totum in prouum trahitur, eiusdem autem impetus, firmissimo etiam aggere, cohiberi, reprimique vix potest. Inter omnes autem virtutum exercitationes, præter actiones contrarias virtutum, quæ opponi debent, velut in duello quodam, inordinatis passionum motibus, maximè ad tranquillitatem animæ à Deo imperandam, conferunt actus humilitatis, ij præsertim, qui magnam nostri coram aliis humiliationem præferunt ex corde susceptam, & nos pro Deo valde confundunt. Talium enim actuum valde Deo acceptorum exercitatione, ille mouetur, ad dandum magnum dominium passionum; vi experientia ostendit, & probabo in Opusculo de confusione quærendâ. Vnde meritò S. Ioannes Climacus ait: Quoties aliquem vel audieris, vel videris intra paucos annos, alissimam tranquillitatem acquisuisse, noli hunc existimare, aliam quam hanc beatam celeremque viam; humilitatis pedibus ambulasse. Meritò appellauit viam celerem, quia cito peruenitur per eam, ad tranquillitatem mentis: siue quia ipsius humilitatis meritum, eam à Deo impetrat: siue quia Deus humilibus largitur feruidum amorem; quo veluti; igne quodam

97.

c. 1. 8.

grad. 1.

98.

99.

100.

101.

102.

103.

104.

105.

106.

107.

108.

109.

110.

111.

112.

113.

114.

115.

116.

117.

118.

119.

120.

121.

122.

123.

124.

125.

126.

127.

128.

129.

130.

dam caelesti, consumitur inquietudo, & tumultu passionum exuritur.

4 p. vit. cap. 10. Praeclaram hac de re doctrinam legi, in vita B. M. Magdalene de Pazzis, ei a S. Ioanne Evangelista in raptu quodam traditam. Anima, que in se habebit perfectionem humilitatis, facillime possidebit amorem, absque eo quoddam aliud exercitium adhibeat, ad eum obtinendum. Et numquam inuenietur cor hominum plenum humilitate, quin sit plenum amore, quo anima perfecte Deo vnitur, & fit vnum quid cum illo, per participationem. Vir humilis, inquit S. Dorotheus, absque perturbatione degit, & molestia, imò incredibilem animo sentit quietem. Idem S. Dorotheus, animi tranquillitatem, a passionum tempestate liberam orituram ait, si quis horum Patrum regimini se plene subdiderit, idque se in se expertum esse scribit, cum quadam sui admiratione, & metu, ne ex diaboli astu oriretur, sed cum id suo narret Spiritus Magistro, haec ab illo audiuit: Quicumque sese tradiderit obedientiam suorum Patrum, & illorum arbitrio regendum se dederit, ista haec profecto quiete & animi tranquillitate fruatur. Et hanc ipsam tranquillitatem B. Lydium obedientibus perfecte sanctae Ecclesiae & Confessario suo, promittebat, ut scribit in eius vita Ioannes Burgman.

serm. 2. serm. 5.

2 p. c. 1. serm. 7. Porro, idem S. Dorotheus, de passionum perturbationibus disserens, has inde oriri docet, quod seculum nosmetipsos non accusamus, nec qua debemus, diligentia quarimus nos ipsos priuatim arguere. Hinc omnis nostra molestia & afflictio promanat: hinc est, quod quietem numquam, & nullibi pacem animi nascimur. Neque id quidem mirum: quandoquidem ore Sanctorum omnium celebratum ac contestatum habemus, nullam, praeter hanc, ad Deum patere viam. Nec vnquam aliquem vidimus, aut audiimus, qui alia, quam hac ad Deum accesserit via, aut ad quietem peruenire valuerit. Et infra: Quare multum confertis, apprimet, nos adiuvat, & perquam quietos reddit, nec non ad vitam profectum adducit, si nos ipsos, non alios, in omnibus que contingere solent, accusauerimus, auctoresque malorum omnium dixerimus.

98. Ne autem passiones repente nos aggrediendo, in peccati adducant periculum, salubre tradidit consilium S. Ambrosius: Cauere, inquit, debemus, ne in perturbationes prius incidamus, quam animos nostros ratio componat. Exanimas enim mentem plerumque aut ira, aut dolor, aut formido mortis, & improviso percussit ictu. Ideo praenire pulcrum est cogitatione, qua voluendo mentem exerceat, ne repentinis excietur commotionibus, sed iugo quodam rationis, & habentis constricta mitescat.

1. r. offic. cap. 1. Hoc etiam Seneca docuit: Sapientes, inquit, iusserunt me stare assidue, velut in praesidio positum, & omnes conatus fortuna, & omnes impetus proficere, multo antequam incurrant. Illis grauis fortuna est, quibus est repentina. Facile eam sustinere potest, qui semper expectat. Nam & hostium aduentus eos prostermit, quos inopinatus occupauit. At qui futuro se bello, ante bellum parauerunt, compositi & aptati, primum

De Conf. ad Helu. cap. 5.

qui tumultuosissimus est, ictum, facile excipiunt. Et De Conf. alibi: Quae multo ante praesens sunt, languidius incurrant. cap. 9.

Haec ergo examinata, ostendent, an profecerimus, circa hoc secundum caput malorum diminuendorum, per destructionem motuum inordinatorum, qui ex passionibus, tanquam ex infitis naturae radicibus, pullulare solent.

CAPVT QVINTVM.

De tertio gradu spiritualis Profectus, circa victoriam tentationum.

GRadus tertius malorum diminuendorum, perficitur disperdendo, & versatur circa tentationes.

Pro qua re, primo notanda est doctrina S. Bernardi certissima, deriuata ex Scriptura & experientia quotidiana: Praemonitus, inquit Bernardus, vos esse volo, neminem super terram, absque tentatione victurum, ut cui forte tollitur aliqua, alteram securus expectet. Quae in re, consideranda est nobis, tam benigna Diuina pietatis dispensatio, ut quibusdam nos tentationibus patiatur diutius occupari, ne forte periculosiores occurrant: ab aliquibus vero citius liberet, ut possimus in alius, quas vtiliores nobis prauidet fore, exerceri.

Notandum secundo, homines triplici modo tentari, ut ait Abbas Theodorus apud Cassianum, plerumque ob probationem, nonnunquam ob emundationem, interdum ob merita delictorum. Quae multis Scripturae sententiis & exemplis tibi confirmat.

Notandum tertio, motus tentationum, ut scribit S. Antonius Abbas, esse triplices: alios oriri a complexione naturali, alios a cibo & potu copioso, alios a daemone. Tamen praeter has origines tentationum, ex vel oriuntur primo, vel magis excitantur, etiam a prauis habitibus, in actum prauum prodeuntibus, per obiectum aliquod sensibus occurrens excitatis. Sic etiam Abbas Serapion apud Cassianum, sine vilo incitamento anime, solius instigatione ac pruritu carnis, aliam, non a passionibus immediate, sed a diabolo corpus nostrum, vel sensus, vel imaginationem alterante, procedere. Nam uti dicebat vir sanctissimus, noster P. Cornelius Vischaenus Belga apud Sacchinum: Demon nobiscum pugnat, hastam gladio, seipso. Hastam, cum quasi eminus, externarum rerum specie obiecta sollicitat: gladio, cum per corpus nostrum, nos cominus aggreditur: se ipso, cum phantasmam ipsam inuadit, eamque varie mouet: & id tertium certamen est grauissimum, & hoc maxime viros pietati deditos oppugnare, hancque esse non in vltimis causam, cur viros bonos, a saeculo Deus ad Religionem vocet: ut Magistri, quorum hac in pugna insuetudo, rectioque est necessaria suppetant, quorum ductu, & praestigii tui, expeditum in virtutu stadio teneant cursum.



Vit. PP. 1.7.c.25. num. 4. Ros. pag. 678.

fcl. libel. lo to. n. 61. Vit. PP. 1.7.c.25. num. 3. Orig. l. 2. de 2. dogmat. cap. 82. 102. S. Tho. 1. p. q. 114. 2. 3. & 112. q. 80. a. 4. Caff. Col. 1. c. 57. 114. Ciu. cap. 3. In Pf. 75. Vafq. to. 2. in 1. p. disp. 118. c. 3. u. 39. 103. Reg. 7. 2. heb. de difcr. fpirit. 104. In Do. cum. fpir. n. 24.

sum. Aliter tentationes diaboli expellit Abbas Achilles, requisitus, quomodo aduersum nos possint demones Per voluntates, inquit, nostras. Et adiecit: dicens: Ligna Libani dixerunt, Quam grandia sumus & alta, & paruisimo ferramento incidimur, nihil ergo ei demus ex nobis, & nos non poterit incidere. Venerunt ergo homines, & fecerunt in securi manubrium ex ipsis lignis, & ita incidunt. Ligna ergo, sunt anima: securus, diabolus: manubrium, voluntas nostra est. Per malas ergo voluntates nostras incidimur. Sed & sine vlla demonis cooperatione tentationes exurgunt, hoc est, praua cogitationes ad peccatum nos incitantes, a folius arbitrij nostri libertate, vt & peccata quaedam, vt bene docet post Origenem & S. Augustinum, S. Thomas, & Abbas Moyses, apud Cassianum, & Chriftus docuit S. Brigittam hoc ipsum. Hinc cum Abbas Pimenius requisisset Abbatem Abraham, quemadmodum nos demones impugnant, ait: Demones nobiscum non pugnant, (id est, semper,) quia voluntates eorum faciunt, sed nostra nobis voluntates, demones facti sunt, & tribulant nos. Demones pugnaverunt cum Abbate Moyses, & similibus eius, nos autem, voluntates cordis nostri impugnant. Quocirca S. Augustinus: Non omnia, inquit, vita iniqua vitia, tribuenda sunt carni. Et alio in loco: Inducitur tibi bellum, non solum aduersus suggestiones diaboli, sed aduersus te ipsam: In te, ipso, est flagellum tuum: sic rixa tua tecum: sic vindicatur in rebellem aduersus Deum, qui pacem habere noluit cum Deo. Vnde bene docet Vasquez: nec omnia peccata, nec potentiam peccandi, oritur ex fomite; sed sine illo animam posse peccare, & solere. Vt ergo ex statu tentationum, profectus noster agnoscat, de illis tantum tentationibus potissimum hinc loquar, quae non tam a diabolo, quam a propria nostra prauitate descendunt, scilicet, ex prauis habitibus; & peccatis nostris, ac mala consuetudine, & neglecta passionum inordinatarum refrenatione. Nam de tentationibus quae Deo permittentur, ab ipso diabolo procedunt, longe diuersa est ratio: siquidem tales, potius profectum in virtutibus, quam defectum indicant, vt paulo post, in fine huius capituli dicam. Bene enim docet S. Ignatius in lib. Exercitiorum: Eorum, qui promouent in bono salutis, (seu vt est in textu Hispanico, quos S. P. scripsit Exercitia) illos, qui procedunt de bono in melius, bonus Angelus, tangit ealem animam, dulciter, leniter & suaviter; quemadmodum gutta aquae, intrat in spongiam. Malus vero tangit acriter, & cum strepitu & inquietudine, sicut gutta aquae cadit supra petram, &c. Cuius sane diuersitatis ratio, est dispositio anima, illi contraria vel simili. Nam dum est contraria, intrant eum strepita, & pulsus perceptibili: nullas autem maior est strepitus, quam in tentationum, quarum vel minima indulgendo, profectum impeditur. Nam vt ait Ioannes Carpathiorum Episcopus: Etiam parua tentationi indulgendo, impeditur in progressu, virtutis cupidus. Fidem tibi faciet Echa-

neus, tantillus pisciculus, qui pro grandem onerariam, solo actu sicut, eiusque cursum cohibet penitus. En vides rem maximam praepediti a minima. Profectus autem circa tales tentationes cognoscitur ex his: Primum, si non pertrahant ad peccatum; hoc petere debemus quotidie, Chrifti iussu, dum dicimus: Et ne nos inducas in tentationem; ne scilicet ab ea superemur, & ad peccatum inducamur, vt exponit S. Augustinus & Theophylactus in Comm. in Matth. & Abbas Isaac apud Cassianum: Et sic resistentes tentationibus B. Beda, ait, a S. Matthao appellatos iustos, quos S. Lucas, Reges appellat. Ipsi sunt enim Reges magni, quia tentationum suarum moribus, non succumbere consentiendo, sed regendo praestiterunt. Imo & eas expugnando. Non est vlla maior victoria, inquit S. Cyprianus, quam quae a cupiditatibus refertur. Dum enim his demon contra nos vitur, vt loquitur S. Chrysostomus de tentationibus lohis, qui eis resistit, multas accipiens in se reles, ipse resistit diabolus confodit. Victoria, ait S. Gregorius Nyllenus, nisi aliquid victum sit, esse non potest. Cum illo igitur, quod in nostrâ natura mutabile est, tanquam cum aduersario, ea ratione compositi decertemus, vt ipsum non deiciamus, sed cadere non permittemus, victores simus. Hoc autem curandum esse nobis, non tantum in aetate maturâ, sed ab ipso liberi rationis vsus exordio, monuit S. Macarius Aegyptius in Romano Martyrologio valde laudatus. Qui, inquit, vitam Christianam exactissime dirigerere desiderant, inprimis curare debent, illam partem anima, quae facultatem intelligendi discernendiq; continet, vt, cum vim ad amissum indicandi, quid bonum, quidve malum sit, adepti fuerimus, poterimus, plane discernere, quae prater naturam, in ipsam puram naturam inuehantur, recte & indeflexe conuersum: atque illa discretionis facultate, tanquam oculo viuentes, nullum consensum, nullum denique foedus cum prauis suggestionibus ineamus, & ita dummo unuere honorati, digni Domino euadamus. Idem alio in loco prudentes, ait, cum affectiones ingruunt, non obtemperare, sed appetitionibus prauis irasci, & earum hostes se constituere. Ascendit ad hunc gradum profectus, tum per acquisitionem intentionum habituum per multos actus praestitum feruentis & intensos, productorum, tum per eximie pium vsum SS. Eucharistia, quae, vt scribit S. Bernardus, in grauioribus, tollit omnino consensum: tum per serium vsum meditationum, ad reformationem morum, institutarum. Siquidem, inquit S. Climacus, qui per orationem, immundum canem a se abigit, pugnantis leoni comparatur. Et ita Theodoretus in religiosa historia, ait virum sanctum Theodosium, deprecatione & hymnodiâ videntem asidua, cupiditatem, & iram, & arrogantiam & alias animi belluas sopuisse. Dicebat Abbas Ioannes apud Ruffiurum: similem esse debere monachum, homini sedenti sub arbore: qui respiciens feras diuersas, & serpentes venientes ad se, cum non poterit eis resistere, ascendit in arborem, vt euadat; ita & monachus, sedet

in cella sua: & respiciens prauas cogitationes venientes ad se, cum non potuerit eis resistere, obfugiat per orationem ad Dominum, & saluabitur. Quod sic confirmat S. Macarius: Moyses in bello quod gerebatur aduersus Amalechitas, quando manus in calum extendebat ad Deum, vincebat Amalechitas, cum autem demitteret manus, Amalech superior erat; tua vero, qui audis hęc gesta, mens ne procul abeat, sed cum illa, rerum veterarum figura fuerint & umbra, eadem tibi ipsi adapta. Nam quando cumque animi tui manus & cogitationes extenderis in calum, Dominus, adhaerere volueris, cogitationibus tuis satanas inferior erit. Et quo pacto diuinam potentiam miri terribi corruperint, ita nunc etiam miri vitiorum, qui mentem tuam impediunt, vrbesq; satanae, hostes demique tui, virtute diuinā perduntur. Studium enim orationis & impetrat, & confert, magnam animae robur, & stabilitatem, & adamantinam quandam duritiem, contra ictus tentationum, quibus in deuota mens, tanquam mollis cera cedit. Hinc Abbas Theodorus apud Castianum, cum Coll. 6. cap. 11. fin. dixisset, virum perfectum in tentatione manere semper immobilis, subdit cap. sequenti; Mens viri iusti non debet esse similis cera, vel alterius cuiusque materia mollioris, quae semper characteri signantium cedens, pro eius forma & imagine figuratur, quamq; in se, tam diu retinet, donec alio rursus super impresso signaculo, reformetur, atque ita fit, ut nunquam in qualitate sua persistens, ad formas eas, quae imprimuntur, semper conuertatur & transeat, quum potius debet, velut quoddam esse adamantinum signatorium, ut inuidabilem mens nostra figuram, sui semper custodientem characteris, vniuersa, quae incurrerint sibi ad qualitatem sui status, fighet atque transformet, ipsa vero insensibili nullis incursum posuit. Aliā similitudine hanc rem declarat S. Augustinus, describens perfectam virtutem Christianum: In omni tentatione Christianus non cadit, etsi impellitur. Nam quadratum lapidem, quocumque pterteris, stat: sic ergo conquadrantini, ad omnes tentationes parati: quicquid impulerit, non vos euerat: statem te inueniat omnis casus. Inueniet autem, si bene orando, & viuendo in Dei timore promeribimur efficacia Dei auxilia, sine quibus tentationes non vincuntur. Non aliter vincemus inquit S. Chrysostomus, quam si per vitam optimam, supernum nobis auxilium conciliemus. Conciliabimus autem illud, si dabimus operam, ut functiones nostras recte obeamus. Nam, qui a Deo se operat inuari, inquit S. Basilus, is nunquam deserit, quod se addeceat officium suum. Qui autem hoc facit, is diuino auxilio nunquam destituitur. Quapropter danda in eo opera est, ne villa in re, conscientia nostra nos condemnet: scilicet negligentia in occupationibus, & functionibus nostris. Sed omnium maxime, post diuinæ gratiæ auxilia, conducit, ne nos tentationes inducant in lapsum peccati, perpetua nostrorum sensuum, & potentiarum custodia, in tot extrinsecis occasionibus peccatorum, quibus vita huius conditio, referta est, velimus, nolimus. Explicat hoc tali similitudi-

ne S. Macarius senior: Si mihi, inquit, status quemdam, per loca nemorosa, spinis, & luto plena transeuntem, ubi reuerberet ignis, gladius, sine affixi, precipitia, & aquae non pauca: nihilominus acris ille & diligens, atque imperterritus, habens oculum pro duce, attentè planè transgredietur loca illa difficilia, ex omni parte continens vestem suam manibus pedibusq; ne inter nemora illa, & spinas discerpatur, aut luto maculetur, aut discindatur a gladio, & oculus vniuersum corpus ducit, cum sit lumen ipsius, ne per precipitia dilabatur, aut demergatur aquis, aliquando alia iniuria afficiatur, si verò quispiam piger, remissus, socors, tardus, & ignauus, per talia loca gradatur, vestis eius hinc & inde defluens, in nemora & spinas dislapsa discerpatur, aut ab igne exurit, quia non vndique eam viriliter tenet, aut ab affixu ensibus scinditur, vel polluitur luto, & vi semel dicam, perdit eiusdem praclarum illud & nouum vestimentum, propter negligentiam, ignorantiam, & incuriam suam. Immo etiam nisi rectè atque diligenter oculum adhibeat, etiam ipse in vallem precipitabitur, aut aquis submergetur. Ad eundem serè modum anima, quae corpus gestat, velut praclarum quoddam vestimentum, praedita facultate discernendi, dirigente totam animam cum corpore transeuntem, per nemora & spinas vitæ, per lutum, ignem, precipitia, hoc est, desideria & voluptates, & reliqua absurda saeculi huius, ex omni parte debet cum sobrietate, robore, studio, ac diligentia coërcere, & conseruare se ipsam, corporeamq; indumentum, neubi dissipetur ab huius mundi nemoribus, & spinis sollicitudinum, negligentiarum & distractionum terrenarum, aut ab igne concupiscentiae exuratur: ea, inquam, velut induta, oculum auertit, ne praua videat: similiter & aurem subducit, ne detractiones audiat: & linguam ne vana loquatur: manus & pedes ab omnibus malis operationibus, auertit quoque se ipsam anima ab occupationibus malis, conseruans cor, ne cogitationes per mundum volucetur: hocq; modo summo cum labore atque studio, cohibens vndique diligenter membra corporis, a vitiis minime dissipatum, non adustum, neque luto maculatum conseruat, praclarum corporeum indumentum. Ipsa denique per voluntatem illa cognoscendi, intelligendi & discernendi peritam, & vt plene dicam, per virtutem Domini conseruabitur, quae se ipsam pro viribus coërcet, & ab omni desiderio mundano reuocat: & sic a Domino capio auxilium, vt vere custodiat, & praedictis malis: Vbi enim Deus conspexerit quemdam, strenuè declinantem voluptates vitæ atque distractiones, sollicitudines crassas, laqueosq; terrenos, & occupationes cogitationum vanarum, praebet illi auxilium peculiare gratiæ, animamq; illam, quae praesens saeculum nequam, viriliter transmeat, conseruat illam. Si quis autem in discordia & pigrizia sine vlla attentione, conuertitur in hac vita à minime declinans sponte sua, vniuersa mundi desideria, nec solum Dominum toto corde requirens, in spinas & nemora huius mundi ruit: & ab igne concupiscentiae, corporea vestis exurit, & à luto voluptatum polluitur. Haec sui custodia commendatur in S. P. N. Ignatio, à Petro Massèo: Non minus, inquit, acuratè, animum ab omni labe tuebatur, quam

hom. 4.
init.

l. c. i. vi.
12.

qui pretiosi ornati vestibus, viâ lulentâ coguntur incedere. Hanc ob causam in Vitis Patrum, dixit Ros pag. 612. n. 47. quidam senex: Taciturnitati operam da: & nihil vanum cogites. & intende meditationi tuae, siue quiescens, vel surgens cum timore Dei: & haec faciens, malignorum impetus non timebû.

112. Secundo, profectus in tentationibus disperdendis cognoscitur, si nec ad periculum peccati proximum inducat. Quod consequimur, si ipso initio tentationis, generosè eam repellamus, vti omnes Sancti faciendum monent. Et Cassianus cum SS. Augustino, Hieronymo, Benedicto, Et tales, primis sunt robustiores, vt gradu 15. dicit S. Climacus, subdens, secundum genus eorum, qui in tentationum victoriâ profecerunt magis. Qui autem, inquit, reluctando fugat, (scilicet daemone tentantem, vel naturæ impulsam, ad vitia propellentem) ei similis est, qui persequitur inimicum suum, non tantum vt prior, fugat, sed repellit.

113. Tercio, si non perturbent vehementer, & inquietent animum, etsi relectæ strenuè. Vt nullo modo commoueat animum tentationes, curandum non est, imò iudicio S. Basilij nec sperandum. Impossibile namque est, inquit ille, in hominis animâ, aliquam à tentationum flatibus non excitari commotionem. Dum exigui sum momenti & pauca numero peccata, leniter ac sensim aliquosque mouemur: sicut solent tenella planta hac illac moti, vi suffrago impulsâ aura leniter ac placidè spirantis. Sed vbi plura accesserint grauiorâq; peccata, iuxta proportionem coalescentis peccati, intendi solet & animæ agitatio. Quæ cum non perturbat vehementer tentatum hominem, vti antea solebat, ceteris paribus, est id bonum signum profectus. Nam, vt idem ait S. Basilij: Sedata animi & quieta constitutio, virtutis est argumentum certissimum. Hoc Dei beneficio assequuntur, qui sibi & studio virtutum, & profectui attendunt. Animus enim, inquit S. Basilij, qui mentem suam peruiilem, & in actionibus relictâ, perpetuo occupatam tenuerit, eiusmodi exercitatione, consuetudineq; mores suos, ad aequitatem & iustitiam, modestiâque ac tranquillitatem componet, atque perpoliet. Idem verò, vbi mentem agitare destiterit, & in res cognitione dignas, exzendere, exemplò, velut importuni canes, & proterui absente moderatore, foras se dant, & vehementer in ipsum oblatrant, & variis modis dilacerare conantur, quippe cum earum singula, vitalem ad se vim quamq; rapiant. Siquidem, est duplex animi vis, quarum altera attingit corpus, vitalem scilicet: altera, quæ tota in perficiendâ veritate versatur, quam rationem appellamus. Vitalis, in corpore agit naturaliter: Rationalis, volatariè. Animus qui vim rationalem insituerit, vt perpetuo peruiigil sit, dupliciter vitiosos corporis motus conspiciat, atque tranquillat: siquidem & se in rebus prioribus sibiq; affinis occupat, & motus corporis sui confusos, obseruatos cohibet atque compescit. Si verò ignauia deditus, otiosam vim contemplatricem reliquerit; tunc torpentem vitalem vim, nactâ libidines

corporis, paritâq; nullo moderante, probibente, animum ad suum appetitum, & functiones pertrahunt. Merito igitur S. Bernardus, tranquillitatem in tentationibus ait inesse hominibus perfectis: De superiori loco anime, inquit, hoc intelligitur, ne quietem mentis, quam in Deo habet, tentante diabolo, deserat, sed vndecumque ille tentauerit, ipsa in Deo fixa, constanter in tranquillitate permaneat. Hæc posterior sententia, conuenit perfectis, qui cum Helia dicere possunt: Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto: & illud de Ioanne Apostolo: quia sicut ille est, & nos sumus, in hoc mundo. Hæc inquam sententia, conuenit perfectis, qui iam in suâ conuersatione, quodammodo imitantur statum eternitatis.

Quarto, si tentationes non oriantur sæpè, ex nostrâ culpâ recente, vel incuriâ, sed ex Dei nos probantis permissione, sine his enim vita nostra non ducitur, vt benè docet S. Augustinus. Et id eò etiam viri sanctissimi, tales tentationes passisunt, probationis causâ. Et Christus Dominus ipse, tentationes passus est, quamquam alio modo: quippe, vt ait Abbas Serapion apud Cassianum, nequaquam aculos concupiscentiæ carnalis ex-pertus, quibus nos necesse est, etiam ignorantes, inuoluntè compungi. Nam tentatio eius foris, non intus fuit, vt ait S. Gregorius, quia tentatus est per suggestionem diaboli, nihil in se contradictionis tolerando: nec mortisum delectationis sentiendo, vti nos tentamus, qui plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur. Imò vt clarius expressit S. Ioannes Damascenus, Malus ille, (id est daemone) extrinsecus, ac non per cogitationes adortus est Christum, quemadmodum & Adam: nam ne illum quidem, per immensas cogitationes, sed per serpentem impetuit. Sed Sancti accurati, non patiebantur eas, quæ oriuntur, vel ex culpâ aliquâ, nostrâ immediatâ, & recentis, (secus de veterè) nec quæ ex incuriâ, & negligentia sui custodia, pullulare solent. Atque ita benè stater Thomas à Iesu, in quem, post hæc scripta incidit, ait: Multum inter sese distant tentationes, incipientibus, vel proficientibus, siue perfectis contingentes. Nam quæ incipientes impugnant, sæpè ex petulantia carnis, aut immortificatione promanant. Quæ verò his, qui sensus habent exercitatos, obueniunt, potius à demonum inuidiâ quàm à propria carnis corruptione deriuantur. Præterea incipientibus, à rebellis carnis motu inopinatè, ante vllam animæ operationem, similes pullulant tentationes: perfectis verò, vel aliquantisper purgatis, prius in imaginatione, turpis cogitationes representantur, quàm carnis motus insurgant. Imò aliquando, ipsâ silentè, tentatio imaginationem totumq; hominem exagitat.

Quinto, si non oriantur etiam accedente causa, vel occasione vehementi, & graui, naturaliter aptâ ad commouendum hominem. Hoc Abbas Chæremon apud Cassianum, illos consequi ait, quorum mens ad subtilem profectum puritatem. Et subdit: Istud est mirabile opus Dei, hominem carneum, carnales affectus respiciens, & in tantâ rerum atque incursum varietate, vnum tenere animum

statum,

statum,

statum, atque immobilem in omni accidentium per-
mutatione durare. Quid virtute fundatus senex qui-
dam, cum apud Alexandriam; turbis infidelium cir-
cumfusis, non solum maledictis, verum etiam grauis-
sima impellentium irgeretur iniuriis; a subsannan-
tibus laceretur: Quid miraculi Christus vester; quem
cetera fecit: Ille inquit, vt hic ac maioribus, se insuleri-
tis, non moueat, nec offendar iniuriis.

116. Sexid, si eadem; & similes prateritis, quae nos
inuadebant initio nostrae conuersionis; nunc
superentur citius, facilius, & minus sentiantur.

1.5. in c. 11. Quidam, inquit S. Gregorius, in tantum proficiunt
culmen perfectionis, vt ab eis, quidquid a mente ingerit-
tur, quidquid a carne, leuiter superetur: dum conuenire
in pugnam non sinitur. Et hanc quidem victoriam,
de omnibus sensibus, electi percipiunt. Non tur-
bati iniuriis, inquit S. Dorotheus; ac circa omnem
animum angorem persistere, euident est mortificationis
(hoc est, profectus in mortificatione) indicium.
Hic gradus profectus spiritualis, tum aliis mo-
dis acquiritur, tum bono vsu & feruenti SS. Eu-
charistiae: quae, vt ait S. Bernardus, minuit sensum
in minimis. Hoc experiebatur in se post vite pre-
teritae lapsus in peccata; & difficultates in virtu-
tibus contrariis, S. Augustinus, cum antea id
non sentiret. Quod etiam de vitroque suo statu
expertum se ait S. Cyprianus,

1.9. Conf. cap. 11. Septimo, si veteres tentationes minuuntur vel
cessent ex toto: Pro hac re S. Augustinus lib. de
diligendo Deo; gratias agebat Domino. Cum
enim dixisset, se vobis modis a peccato conserva-
tum scilicet, occasionis subtrahere, restitendi dat a vir-
tute, affectionis sanitate; hanc vltimam explicans,
ait: a quibusdam peccatis, tam longe me fecit tua mise-
ratio Domine, vt penitus abominer ea. Et ne vlla me
quidem eorum tentatio molestaret. Quod quidem
Deus duobus modis confert seruis suis. Primum,
ordinaria via; in praemium heroicorum ope-
rum, ab illis patratorem, vigore alius virtutis;
quae alicui peccato contraria est. Tales S. Cli-
macus comparat hominibus, qui surrexerunt a
mortuis; & in tertio ac vltimo gradu, ponit in-
ter eos, qui tentationes vincunt. Qui canis im-
mundi impetum, redegit ad nihilum, is est in carne su-
perstes, iam tamen ex acervo surrexit. Secundo id
Deus via extraordinaria concedit sine prauius
multis actibus illius virtutis, sed repente & ino-
pinatè, ex mera beneficentia sua diuina, sine
prauius dispositione humana. Sic S. P. N. Igna-
tio, carnis vitis olim inquinato, ipso eius con-
uersionis initio, contulit donum eximiae casti-
tatis, cuius beneficio, tota vita deinceps, per an-
nos triginta quinque, non tantum a tentationi-
bus carnis, sed etiam ab imaginationibus & cog-
itationibus immundis proflus liber extitit, vt
scribunt Ribadeneyra, & Ioannes Petrus Maf-
feus. Sed his clarius P. Iacobus Laynez, in scri-
pto quodam; quod dictauit P. Alphonsus Sal-
meroni de vita S. Ignatii, quod scriptum aucto-
ritate Apostolica relatum est in processum

117. Non, si animus, nunc magis abhorreat a ten-
tationibus, vt perductius ad peccatum, quam
antea. Non est virtus, inquit S. Ambrosius, non posse
peccare, sed nolle: atque ita tenere perseverantiam vo-
luntatis (scilicet auertere a peccato) vt voluntas in-
sanciam, (in qua non peccatur) vsus, imitetur na-
turam, quae scilicet abhorret a rebus sibi contra-
riis, sine vlla difficultate, & quasi conaturaliter;
quodammodo praueuendo liberam dete-
stationem peccati.

118. Decimo, si nunc, sit maior sensuum mentisque
custodia: ex cuius neglectu multa tentationes
exurgunt. Sunt enim quinque sensus, ait S. Hiero-
nymus, quasi quaedam fenestrae, per quas vitiorum ad
animam introuus est. Sum, inquit S. Gregorius, a-
nimo nostro foramina egrediendi, per quae concupiscen-
tia habitaculum intrat mentis. Mens ergo nostra,
quam Herocles apud Photium, appellat, sensuum
pedagogum, eos custodiat, clausos ad mala ha-
beat: si habet, proficere se indicat.

119. Notandum hoc loco est, vera esse omnia
quae dixi, spectato ordinario vitae spiritua-
lis cursu. Verumtamen non semper tentatio-
num vehementia, indicat exiguum in tentatis
pro-

Compulsorialem Toletanum factum Madriti,
pro Canonizatione S. P. Ignatii, & a S. Rotae
Romanae Auditoribus approbatum; in Rela-
tione Summo Pontifici data.

118. Oportet, si noua, quae in idem, vel pauciori-
bus occasionibus; antea non exurgebant, etiam
nunc non sentiantur. Et hoc sensu S. Augusti-
nus, & ante illum Tertullianus, & Cyprianus,
Chrysostomus & Euthym. explicant illud Mat-
th. 6. Ne nos inducas in tentationem: hoc est, ne vlla nos
tentatio inuadat, ne, si inuaserit, nos tam debi-
les, vt sumus, vincat. Quo sensu, vt notat Mal-
donatus noster, Christus dixit Matth. 26. 41. Vi-
gilate, & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus
promptus est, caro autem infirma. volens nos a Deo
petere, ne vlla in nobis orientur tentationes,
tanquam conscius nostrae infirmitatis & pro-
cliuuitatis ad lapsum, eo quod soleamus delin-
quere, nulla etiam tentatione impellente, ex no-
stri liberi arbitrij mobilitate & prauorum ha-
bituum ac consuetudinum impulsu. Non orie-
tur autem tentationes eiusmodi, si serid virtuo-
rum acquisitioni & vitiorum extirpationi &
passionum frequentationi, & prauorum habituum
eradicationi, ac sensuum cogitationum quae cu-
stodiae, & fugae otij intenti erimus, vt solent
esse, qui proficiunt: nam vt promittit S. Chryso-
stomus, si menti cultum diligentem adhiberemus, nul-
la confusio, nulla molestia inueheretur, quamuis Euripo-
quouis turbulentius, sursum & deorsum vita nostra sa-
taretur.

119. Notandum hoc loco est, vera esse omnia
quae dixi, spectato ordinario vitae spiritua-
lis cursu. Verumtamen non semper tentatio-
num vehementia, indicat exiguum in tentatis
pro-

120. GAPVT SEPTIMUM.
Notanda quaedam circa tentationes.

121. Notandum hoc loco est, vera esse omnia
quae dixi, spectato ordinario vitae spiritua-
lis cursu. Verumtamen non semper tentatio-
num vehementia, indicat exiguum in tentatis
pro-

122. pro-

ferm. et
paruo.
1. Reg.
1.2.
1.3.
1.4.
1.5.
1.6.
1.7.
1.8.
1.9.
1.10.
1.11.
1.12.
1.13.
1.14.
1.15.
1.16.
1.17.
1.18.
1.19.
1.20.
1.21.
1.22.
1.23.
1.24.
1.25.
1.26.
1.27.
1.28.
1.29.
1.30.
1.31.
1.32.
1.33.
1.34.
1.35.
1.36.
1.37.
1.38.
1.39.
1.40.
1.41.
1.42.
1.43.
1.44.
1.45.
1.46.
1.47.
1.48.
1.49.
1.50.
1.51.
1.52.
1.53.
1.54.
1.55.
1.56.
1.57.
1.58.
1.59.
1.60.
1.61.
1.62.
1.63.
1.64.
1.65.
1.66.
1.67.
1.68.
1.69.
1.70.
1.71.
1.72.
1.73.
1.74.
1.75.
1.76.
1.77.
1.78.
1.79.
1.80.
1.81.
1.82.
1.83.
1.84.
1.85.
1.86.
1.87.
1.88.
1.89.
1.90.
1.91.
1.92.
1.93.
1.94.
1.95.
1.96.
1.97.
1.98.
1.99.
1.100.

profectum, ed quod sciamus, permittente Deo, viros quoque maximè proficientes, imò & perfectos, pluribus quandoque, scèdioribusque tentationibus exagitari, quàm soleant minùs perfecti. Vnde S. Antonius apud S. Athanasium in vitâ dicebat: *Hostile demonibus, contra omnes Christianos, maxime contra Monachos, & Virgines Christi odium est: eorum semitis laqueos tendunt; eorum mentes impijs & obscenis cogitationibus nituntur euertere.* Ideò autem tales inuadunt maiore conatu, quia perfectius viuere vident. Cùm aliori vitâ proficimus, inquit S. Gregorius, maligni spiritus nobis infestiores sunt; & contra fortiores Christi milites, non quorumlibet malorum spirituum, sed fortiorum demonum, praelia exicitantur. Et vi idem scribit: *quanta maiora in hominibus dona conspicit, tanto hec auferre subtilioribus insidias exquirat.* Hinc de se scribit Apostolus: *Medie seruis legi Dei, carne autem legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, & captiuam me in lege peccati, quae est in membris meis.* Quia Sathanae Angelus, iis utebatur ad eum impugnandum, tanquam proditoribus domesticis. Nam, vt ait S. Hilarius, *In sanctificationis nobis, maxime diaboli tentamenta grassantur; victoria ei est magis exoptata de sanctis.* Et ita legimus apud S. Basilium, S. Catharinam Senensem, scèdissimis tentationibus fuisse infestatam. Idem de S. Fracisco scribit S. Bonauentura: & de S. Benedicto, S. Gregorius Papa: & de B. Angelâ de Fulgino, admiranda leguntur, in eius vitâ, ex ipsiusmet narratione scripta, quae pro discretionem spirituum, plurimum proderunt, si legantur à Confessarijs piarum & castarum Virginum. Et de se ipso scribit S. Hieronymus, & de S. Hilarione in eius vitâ: de se quoque similia scribit S. Bernardus, S. Theresiam, eximia sanctitatis & sapientiae celestis Virginem, noster P. Ribera in eius vitâ scribit, passam terribiles tentationes & molestias interiores à dæmone, quibus pressa, videbatur, nullum sibi sentire fauorem vel amorem Dei, nec recordabatur gratiarum acceptarum à Deo, non poterat aspiciere vllam personam, nec recreari cum vllâ, nec legere, nec orare: imò quauis res, & quiuis, qui eam alloquebatur, magnum illi fastidium adferebat. Et c. 25. eiusdem libri recenlet, quamdam eius Relationem, in qua sic ad suum Confessarium scribit: *Videtur mihi me ineptam esse ad omnia, & quodd minima tentationi & murmurationi contraria non valeam resistere. Videtur mihi deceptos esse omnes à me, apud quos in aliqua opinione eram: vellem me subducere oculis omnium, ne ab vllò viderer &c.* In his tamen non magis offendo Deum, quàm antea: & conformis sum diuinae voluntati: parata in perpetuum has pati molestias, si Deo placeat. Et de B. M. Magdalena de Pazzis Virgine innocentiissima, & valde rara ac admiranda sanctitatis; Moniali Carmelitana calceata, stupendas scribit tentationes, Vincentius Puccinus eius Confessarius,

quas passa est (Deo id ei praedicente) per continuos quinque annos. Tales autem tentationes, ralius personis contingentes, sine vllâ earum culpa, & non ex prauis habitibus profecta, indicant magnam earum perfectionem, & profectum in virtutibus, in quibus, si non excelleret, Deus non permisset adeò vehementer & importunè eas, vt & S. Iob, à dæmonibus tentari, & per has tentationes, magis roborati virtutes. Optima enim virtutis custos, est infirmitas, vel pressurarum, vel tentationum, inquit S. Gregorius, & sic certo moderamine, vt dum quisque sanctorum, iam quidem interius ad summa rapitur, sed alicubi tentatur exterius, nec desperationis lapsus, nec elationis incurrat: sic, cognoscimus in profectu, quod accepimus, in defectu, quid sumus: & sic subtilissimâ interni iudicij moderatione, infra summa, & super infima in quodam medio anima libratur. Ad cuius rei conformacionem, conducit plurimum, pulcherrima doctrina, in admitando quodam raptu, diuinitus à Deo Patre tradita, B. M. Magdalena de Pazzis, dum eam ad superuenturas per quinquennium tentationes generosè ferendas, praemuniret. Exibunt contra te multi leones, qui te assilient intrinsecus, & extrinsecus, & quanto magis te inuadent, tanto magis superundabit in te gratia mea, quamuis sine sensu & gustu illius. Et, si voluerint suggerere mentis tuae, & persuadere tibi, quod hec dona non sint à me, & si alij quoque idem tibi dicent, sis semper firma & stabilis in me, nihil proferis timens de rebus praeteritis, nec considerans praesentes, nec inuestigans futuras, quia sic ego volo: & quamuis multi possent te astimare ob hanc meam tui probationem, minus tibi vnitam, & minus perfectam, quam fueris antea, noli illi credere, quia non erit sic. Imò, si mea carissima filia, hec probatio erit signum clarum & manifestum certitudinis magnorum donorum & gratiarum, à me tibi datarum, ex mea liberalitate, non ex merito tuo: & hec probatio erit via securior & clarior, ad conducendam te ad maiorem perfectionem. Circumdaberis à maximis insulibus, à dextris, & à sinistris, vsque adeò, vt nescitura sis, quò te vertere debeas, & interdum putabis, quòd non sis in te: sed scias, me semper tecum futurum, dummodo studeas, cum magna diligentia sequi meas internas motiones & tractationes, sicut haecenus fecisti. Et quauis id feceris magno studio, necesse tamen tibi erit, id multo maiore facere. Ita Deus, intimè sibi caris & valde perfectas animas, quandoque exercet & probat, & grauissimis tentationum insolitibus, Spectatio tamen modo ordinario, quo Deus communiter suos dirigit seruos, vera est illa doctrina Richardi, eximij vitæ spiritualis Magistri, ideoque à S. Bonauentura ad confirmacionem suae doctrinae, citari soliti, qui ait: *Vox illa Domini, intercidens flammam ignis, & incipientibus, & nouiter conuersis, intercidit, quidquid inclinare posset consensum rationis; in proficientibus autem, sepe auferit illis citam delectationem mentis; in raris autem & valde perfectis, remouet etiam titillationem carnis.* Multi tamen, quamuis ad summam perfectionem praefec-

In 1. Reg. cap. 17.
 l. 7. Reg. c. 12.
 Rom. 7. 24.
 ver. 23.
 In c. 4. Marth.
 c. 5. vitæ.
 l. 2. dial. cap. 2.
 c. 19. vit. B. Aug.
 epist. 22.
 ad Eust. serm. 54.
 Cant. l. 4. c. 17.
 col. ni. 11.
 208. 12.
 118. 60.
 l. par. vit. cap. 16.

127.
 129. mor. cap. 6.
 3. p. vita 6. dic. 1.

1. A. cap.

In v. S. A. cap.

cap.

In Pla

fecerint, stimulum carnis sue extinguere non potuerunt, sed diuina hoc dispensatione in us actum est. Quam quidem, quid unicuique vitium accidat, latere non potest. Et in alio quidem fiebat, ad demonstrationem, singularis eorum fortitudinis, quia tales erant, qui semper pugnare assidue, & triumphare sufficerent; in alio autem, ad custodiam humilitatis, quando aliquod singulare bonum præ ceteris acceperant. De quo tentationum genere videri potest S. Bonaventura. Quia ipse dæmon, proprio æstuans odio, sanctos maxime inuadit. Hostis noster, inquit S. Gregorius, nos, quando magis sibi rebellare conspiciat, tanto amplius expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto iure, se possidere sentit. Hoc, in seipso, Dominus sub quadam dispensatione figurauit, qui diabolum, non nisi post Baptisma, se tentare permisit, ut signum nobis quoddam futurae conuersionis inueneret, quod membra eius, postquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent. Cogitatio enim mala, ut ait Christus Dominus S. Brigitæ; est, sicut sinapis amara, quia amarum facit animam & turbidam. Et sicut homo, quandoque habet necesse, de liquoribus spissis, qui licet non multum proficiunt ad corporis sustentationem, profunt tamen, ad corporis & cerebri purgationem & sanationem; sic etiam, cogitationes male, sunt, quia quamuis non impingunt, & fatiant animam, ut oleum bonarum cogitationum, tamen proficiunt ad animæ purgationem, sicut sinapi ad purgationem cerebri. Nisi enim quandoque interuenirent cogitationes male, tunc homo esset Angelus & non homo, & putaret homo omnia habere à se ipso. Idem ut homo intelligat, infirmitatem suam, quam habet à se ipso, & fortitudinem, quam habet à me, necesse est permittatur ex magnâ misericordiâ, quandoque tentari, cogitationibus malis: quibus, si homo non consentit, purgatio sunt animæ, & custodia virtutum suarum. Et licet amara sint quasi sinapi, & ad ferendum tamen, multum sanant animam, & ducunt eam ad æternam vitam, & sanitatem, que non potest haberi sine amaritudinibus.

uersarios potius, quam timebit. Quoniam verò, ut ait S. Leo, nouit diabolus, cui adhibeat astus cupiditatis, cui illecebras gula ingerat, cui apponat incitamenta luxuria; cui infundat virus inuidiæ: quem merore conturbet, quem gaudio fallat; quem metu opprimat, quem admiratione seducat: & omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus; & ibi causas querit nocendi, ubique viderit studiosius occupari. Hoc remedium idem S. Leo in alio sermone proponit. Scimus quod sicut Ioannes Apostolus dicit, Totus mundus in maligno positus est: & insidante diabolo & angelis eius, hoc innumeris tentationibus laboratur, ut hominem ad superna nitentem, aut aduersa terreant, aut secunda corrumpant: sed maior est, qui in nobis est, quam qui aduersum nos est: & pacem cum Deo habentibus, & semper Patri, toto corde dicentibus, Fiat voluntas tua, nulla preualere certamina, nulli possunt nocere consuetus. Hoc ipsum aliis verbis S. Nilus exprellit: Si vis inimicum imbecillum reddere, peccatum rescinde, nudatus enim alis, ut passer culus illudatur. Ad technas eius & artes dignoscendas, præclaras tradidit S. P. N. Ignatius, Regulas duplices, in libro Exercitiorum.

Porrò S. Chryostomus sic docet congregandum cum dæmone tentante: Si nos senserimus aduersus eum, ipse non erit sauis: si nos mansuerit in eum fuerimus, tunc ipse sauis erit. Hec autem saxuitta, lira est in generositate quadam animi, quâ fretus S. Antonius exprobatat dæmonibus, quod tanquam infirmi eum tentarint, induti irrationabilium formas bestiarum. Facilius inuadit dæmon pusillanimes ac timidus, quam magnanimos: suis quidem diffidentes viribus, sed spe magnâ fundatos in Deo. Non habet dæmon potentiam, inquit S. Teretia, ad generosa & resolutas animas tentandas. Ab illis enim sibi inprimis metuit, experientia quippe iam nouit, magnum sibi ab illis damnum accedere: & quicquid producit ac dirigit, ad nocendum illis; hoc totum, tam in ipsarum quam aliarum commodum cedere, & se damnum referre. Explicat hoc S. P. Ignatius aptâ similitudine: Hostis, inquit, noster, naturam & morem muliebrem refert quoad imbecillitatem virium & animi perniciam. Nam sicut femina cum viro rixans, si hunc conspexerit, erecto & constanti vultu, sibi obistere, abiicit illi dæmonium ac terga vertit: si vero timidam fugacemq; esse animaduertit, in extremam surgit audaciam, & illum ferociter inuadit: itidem consuevit dæmon, animo & robore planè destituti, quoties spirituales athletam, corde imperterritum, ac fronte ardua, tentationibus videt reluctari: si autem trepidet ad primos imperus sustinendos, & quasi animum despondeat, nulla est bestia super terram, inimico illo tunc esset acrior, & pertinacior in hominem, ut cum pernicie nostrâ, maligne obstinatæq; mentis sue, desiderium adimpleat. Apparuit hoc inter multos alios Sanctos, in S. Abraham eremita, quemadmodum de eo scribit S. Ephrem Diaconus: qui sæpius dæmonem variis formis indutum contemnens à se abegit, dum intrepidè eum increpasset. Confestim enim, inquit

114. Processu 4. Relig. c. 1. & seq. l. 24. mor. cap. 7.

115. l. a. recu. cap. 27.

126. In vita S. Ant. cap. 17.

cap. 20.

127.

ser. 6. de Natiuit. cap. 4. l. Ioan. 5.

In paren. n. 215.

128. ho 22. in c. 6. Eph.

c. 8. vit.

Itin. per. fec. c. 23.

Reg. 12. t. hebd.

c. 12. vit.

cap. 15.

inquit S. Ephrem, vt sumus ab oculis eius euauit. Vnde postea dæmoni alia vice appatenti, exprobrans dixit: Ab his qui diligunt Deum, tanquam fumus à vento desici: vna siquidem eorum oratio, sic te persequitur ac deturbat, quemadmodum puluis à vento insectatus dispergitur. Vixit autem Deus meus, qui est benedictus in sacula, qui est gloriatio mea, quia non te pertimescam, etiamsi omni tempore hic confiteris. Sic autem pro nihilo te spernam, veluti si vnus catulus contritus, ab aliquo contemnat. Hac eo dicente, confestim ille, vt solebat euauit. Et aliâ vice dæmoni se infestanti respondit: Agnosce infirmissime atque infelicissime demon, quia nos neque te, neque tuas pertimescimus phantasias. Per multum autem tempus, diuersis argumentis ac machinis contra eum dimicans, non quiuit cogitationibus eius solidissimis, saltem pauperem certans incurere: magis autem preliando, alacritatem in eo, & charitatem apud Deum maximam suscitabat. Quocirca generoso ac machinis, sine metu dæmonum, tentationibus eorum resistendum est: præsertim cum dæmonum virtus, S. Pachomio falsa sit. Ex quo mirabilis Incarnatio Christi facta est in terris, nos (sicut dæmones) sine viribus prorsus existere capimus, ita, vt ab his, qui credunt in nomine eius, illudamur vt passeret. Quod ipsum S. Antonius teste S. Athanasio dicebat: Nunc miserabilis vt passer, ad ludum irretitus à Christo est: nunc comites suos, quasi scorpiones & serpentes, calcaneo Christianorum substratos, gemit. Et in Constitutionibus Apostolicis apud Clementem in obsecratione pro energumenis habetur: Qui dedisti nobis, homicidam serpentem, vinculis confictum sicut passerem pueri.

c. 16. 17.

c. 49. vit.

S. Pach.

c. 16. vit.

S. Ant.

1. 8. c. 7.

129.

1. de cog.

& cur.

morb.

cap. 7.

Hypocr.

sect. 3.

aphor.

Celsi. 3.

cap. 22.

1. 6. de be-

nef. c. 31.

Opul. 15.

cap. 19.

1. 3. de ira

cap. 10.

1. 1. var.

ep. 39.

ser. 1. in in

Palcha.

Rofv. p.

612. n. 48.

Alij Sancti passim hoc proponunt remediū, vt initio tentationis validè resistamus, quando nondum malum inueteratum est: quod in morbo corporis, cum aliis medicis, etiam Galenus suadet, excindendum esse, dum adhuc pullulat, nec expectandum dum crescat & fiat insanabilis, id etiam faciendum in tentationum incurflu. Vna salus rebus est, inquit Seneca, ad primos occurrere rerum impetus. Nam vt ait B. Petrus Damiani: Facilius est hostiles impetus in vestibulo frangere, quam admissos: extra mœnia propulsare: tutius est arcere praesentibus, quam laribus intrinsecis in terga compellere. Sic & Seneca, Proderit, inquit, morbum suum nosse, & vires antequam spatiuntur opprimere: & vt loquitur Cassiodorus, coercere infantiam criminis, ne iuuenescat augmentis. Satis, inquit S. Theodorus Studita, prauas cogitationes serpentum instar mordere, immisso in animum veneno, quod omni studio eximendum est, simul atque coortum est, ne vlcus difficile mora reddat. In Vitis Patrum, dixit senex cuidam Fratris: Diabolus est inimicus, & tu domus. Inimicus ergo non cessat iactare super te, quicquid sordidum inuenit, effundens in te viuuerfas immunditias. Tuum est autem, non negligere, vt proicias foris, que ille iactauerit. Nam si neglexeris, replebitur tibi domus sordibus, & nequaquam valebis intrare in eam: sed ab initio que ille iactauerit, tu euice paulatim, & manebis domus tua

munda per gratiam Christi. Sic flamma ignis, initio facilius extinguitur. Quâ dere S. Ildorus, si scriptum reliquit: Diabolus serpens est lubricus, cuius si capiti, id est, prima suggestioni non resistitur, totus in intima cordis, dum non sentitur illabitur. A similitudine vnâ, inquit Ecclesiasticus, augetur ignis: sic à tentatione modicâ, ni statim extinguitur, vel occasionis fugâ, vel contrariæ actû virtutis: nam vt ait S. Chrysostomus: Si comprehenderit animam, Ecclia, atque superauerint, tunc sicut ignis, ingentem ac sicam naclis materiam, maximam solent flammam accendere. Falsus est hoc dæmon, specie mulieris apprensus S. Pachomio: Namquam, inquit, quiescimus aduersari generi vestro; serentes malas cogitationes in animabus eorum, qui contra nos decertare contendunt. Et si nobis titillanti bus annuere eos, ex parte, aliquid senserimus, tunc amplius nequissimas cogitationes immitimus, & diuersarum volupratum mendia ministramus. Et ita preliantes acerrimè, subintramus eos, nostrâq, plenius potestate subiicimus. Si verò viderimus, ea que suggeruntur à nobis, eos è contrario, non solum non suscipere, verum nec libenter attendere, si deq, qua in Christo est, vigilanter & sobriè se munire, sicut fumus dissipatur in aère, sic ab eorum cordibus pellimur & fugamur.

Quocirca meritò S. Barlaam, baptizato sancto Iosaphat, tradens ei præcepta viuendi, & gratiam baptismi conferuandi, inter alia dixit: Summo studio, in hoc enitere, vt omni vitiosâ cogitatione ex animo tuo extinctâ, & deletâ, optimas quasq, cogitationes ei inferas templumq, Spiritus sancti respectum efficias: siquidem per cogitationes, ad actiones ipsas deuenitur: atque omne opus à cogitatione animiq, agitatione procedens: paruum primò initium arripit, ac deinde tacitis incrementis augetur, ingens ad extremum efficitur. Ob eamq, causam, nullo modo permittite, vt improba consuetudo tibi dominetur: verum donec recens est, paruum radicem è pectore tuo euelle: ne aliqui cum pullularit, ac radices suas altè infixerit, postea non nisi longo tempore, ac magno cum labore extirpari possit.

Aliud contra tentationes remedium, proponit S. Pachomius, exercitium seu frequentationem actuum profundæ humilitatis, quod & S. Antonius suadebat ad effugiendos diaboli laqueos, quibus viderat totum repletum esse mundum. Iuuenis Syluanus, inquit S. Pachomius, quem dudum propter negligentiam, de monasterio pellere volebatis, ita prostravit inimicum, & à suis sensibus effugauit, vt nusquam coram eo compareat: altaq, humilitate, eum per omnia superauit. Et vos quidem fratres, habentes opera iustitiae, in his que gessistis gloriosè confiditis: hic autem quando fortius pugnat, tantò se detriorem omnibus iudicat, ex totâ mente, totaq, virtute inutilem se reprobamq, pronuntians. Ideo denique & lachrymas habet in promptu, quia semetipsum nimis humiliat & inclinat: nec alicuius momenti quod gesserit, existimat. Diabolum autem, nihil ita reddit inuadendum, sicut humilitas de corde puro, cui tamen correctionis opera probantur adiuncta. Alio modo circa

rentationes quasdam, non manifeste turpes, nec intrinsece malas, ut sunt, de procuranda mutatione habitationis, vel occupationis, & similes, ut sunt veteres monachi, arte eludendi illas, per dilationem ad aliud tempus. Sic scribitur de Abbate Theodoro, & Abbate Lucio, quod fecerint quinquaginta annos, seducetes animos suos, & dicentes: Transacta hyeme ista, migrabimus hinc. Et iterum, quando sebat aestus, dicebant: quia transacta aestivo discedemus hinc. Et sic fecerunt, toto tempore conuersationis suae. Et infra, de fratre quodam scribitur: quod nouem annis manserit impugnatus a cogitationibus suis, ut exiret de Congregatione fratrum: & quotidie tollebat pelliculam suam, in qua iacere solitus erat, ut exiret. Et quando sebat vespera, dicebat in seipso: Crastina hinc discedo. Et mane dicebat in cogitatione: Exorquetur nobis hic stare & hodie, propter Dominum. Qui cum impleisset nouem annos, de die in diem ita faciens, abstulit Dominus ab eo tentationem eius. Hoc modo, alter, gulae tentationem, scribitur superasse. Esuriit, inquit Rufinus, quidam frater a mane, & pugnavit cum animo suo, ne manducaret, donec fieret hora tertia. Et facta est hora tertia, exegit a se, ut fieret sexta. Insudit panem & sedit, ut manducaret. Postea verò surrexit, dicens: Manebo sic usque ad horam nonam. Hora autem nona fecit orationem, & vidit opus diaboli sicut fumum exeuntem a se: & ita cessauit esurire eius.

331. Sed praesentissimum remedium, praesertim contra tentationes Tyronum est, eas suo statim ac exurgunt reuelare Magistro. Facilis cura est, inquit S. Cyprianus, ubi plaga perspicua est, & cito ad sanitatem medela subueniente perducitur, vulnus quod videtur. Ideo S. Theodorus Studita tradens modos, vincendi tentantem daemone, inter alios modos hunc commemorat, ut diabolum, profertendū edendūq; culpis, procul in fugam vertamus; quod ipsum praecipit S. Benedictus. Et longè his antiquior S. Petrus Apostolus id ipsum docuerat. Vnusquisque, inquit, quod eum mouet, & partem quam dolet in animo, fateatur: ut possit consequi medicinam. Qua enim silentio consequuntur, veluti multi temporis vitia, difficile curantur; & idè, quoniam tacentibus, non facile potest medela opportuni & necessarii sermonis adhiberi; proferre debet quisque, in quo animus per ignorantiam languet; tacenti verò dare remedium, solus est Dei. Quod tamen taciturnis, Deus praebere non solet. Hinc apud Cassianum Serapion à diuturna tentatione & lapsu gulae, non prius liberatus est, quam suo id Abbatia peruerit. Idem quotidie experiuntur multi. Nā ut scribit S. Nilus: Leuatur anima aegritudine, cum narratione eorum que molesta sunt, velut exinanitur animi aegritudo: non secus ac nubes aliqua, à qua distillant guttae pluuiae. Quod etiam luadens confirmat S. Ioan. Climacus, & Cassianus.

Nihil hic dico de orationis efficaciam ad resistendum tentationibus, quia hoc commune pro omnibus necessitatibus remedium est.

332. Adde denique duorum habendam esse ra-

tionem ei, qui non vult à tentationum impetu profligari. Primum, ne sit otiosus, sed semper re aliquā necessariā vel vtili occupatus. Nam ut ait S. Chrysostomus: *Demon, si viderit desidiosum & ho. 4. ad oscitantem, otio & pigritia marcescentem, compendio. Anno. se, repote diuersorium desertum, ingreditur. Nec tantum vnus daemone, sed plures. Haec, inquit Cassianus, apud Aegyptum, ab antiquis Patribus sancita sententia, operantem monachum daemone vno pulsari: otiosum verò innumeris spiritibus deuastari. Secundo, ne tentationes noceant, inuigilandum est nobis, ut sit dum hostis expectatur: quia ut scribit S. Ambrosius: *Remissus excubias, callidus hostis irrumpit. E contrario verò, inquit S. Chrysostomus: Omnis qui vigilat, & aduersarium non timebit, & coronam repositam accipiet. Quae vigilantia potissimum adhibenda est, dum praesentur aliqua aduersitatum & persecutionum pericula. Nam ut ait S. Gregorius: Mens sollicita, antequam agere quodlibet incipiat, omnes quas pati potest, sibi contumelias proponat: nam probra uentura, tanid fortius excipit, quando se cautiū, ex praesentia armavit. Qui enim improvidus ab aduersitate deprehenditur, quasi dormiens ab hoste inuenitur: eumq; citius, inimicus necat, quia non repugnantem perforat. At qui mala per sollicitudinem praenotat, hostiles insultus, quasi in insidiis vigilans, expectat: & inde ad victoriam valenter accingitur, unde nesciens deprehendi putabatur. Solerter ergo animus, ante actionis suae primordium, curata debet aduersa meditari: ut semper haec cogitans, semper contra haec thorace patientiae munitus, & quidquid acciderit, providus superet, & quidquid accesserit, lucrum putet. Ne autem tentationes molestae nos inuadant, hoc remedium dabat quidam senex in Vitis Patrum: Interrogatus enim à quodam fratre, cur à demonibus tam grauius impugnemur? respondit, quia arma nostra proicimus à nobis: id est, patientiam, humilitatem, mansuetudinem atque obedientiam. Haec enim, uti supra vidimus dictum à S. Antonio, valde diabolus pertimescit. Alius senex, ibidem, ad arcendum daemone tentationem, tale remedium proposuit: sicut ad succensam ollam musca non appropinquat, si verò tepida fuerit, insident in eā, & faciunt vermes: ita & monachum, succensum igne diuini amoris, fugiunt daemones; tepidum verò illudunt & insequuntur.**

CAPVT SEPTIMUM.

De quarto gradu spiritualis profectus sito in extirpatione prauorum habituum.

Quartus gradus malorum diminuendorum per dissipationem, sunt habitus prauis, in quos lapsi sumus, non bene reprimendo passionum motus inordinatos, & non resistendo fortiter tentationibus, sed vtrisque consentiendo. Cum aliquibus cupiditatibus nati sumus, inquit S. Augustinus, temp.

stinus, aliquas, consuetudine fecimus: propter illas, cum quibus nati sumus, baptizantur infantes, & absoluntur à reatu propagandis mala, quam habuerunt. Consuetudini (id est habitibus) semper resistendum est. Habitibus prauis sunt sicut radices, ex quibus enascuntur rami vitiatorum, tum similes radicibus, & quasi vniuoci, tum dissimiles & quasi æquiuoci, sed cognati. Quà de re pulchrè S. Basiliius: *Quemadmodum, si quis relicta radice, ramos arboris alicuius velit excisos, nihilominus radix manens, alios similes protrudit; sic, quoniam peccata sunt quedam, qua nascendi principium in se non habent, sed aliunde originem ducunt, necesse est prorsus, si quis liber ab illis velit esse, is causas primas peccatorum illorum stirpibus tollat. Veluti corrixatio & inuidia, non ex se ipsa oriuntur, sed ab radice appetitus glorie pullulant. Qui enim humanam gloriam magni facit, is ex amulatione ei obreclat, quem in gloria esse animaduertit, aut à quo superari se in eâ videt, inuidet. Quocirca qui semel se ipsum inuidia, contentioniq; damnarit, is si in eadem ipsa vitia relapsus sit, vti que intelligat, graui se, & penitus in isto cupiditatis gloria morbo, principe scilicet, inuidia, amulationisq; causa laborare.*

hom. 16. *Nobis, inquit S. Macarius, vitium adiacet, eod quod habet in corde, ubi vim suam exercet: suggerens improbas & obscenas cogitationes, non sinens pias preces effundere, sed captiuam ducens mentem per hoc saculum.*

In reg.
breu. in-
ter 289.

Pl. 17. 38.

hom. 41.

inir. Eccl.

42. c.

Horum ferè extirpationi, per acquisitionem contrariorum habituum bonorum, incumbendum est, vt penitus euellantur, & euulsi dissipentur, exemplo Dauidis, qui de suis inimicis cantans, ait: *Persequar inimicos meos, comprehendam illos, & non conuertar, donec desiciant: vel vt vertit S. Hieronymus, donec consumam eos.* Vtrumque pulchrè explicat S. Macarius: *Pretiosum vas anime, multà profunditate constat, vt quodam loco ait. Abyssus & cor ipse scrutatur: nam ubi homo diuerterit à mandato, & ira sententiam incurrerit, peccatum, abripit illum captiuum: quod, cum sit velut abyssus quedam acerbatis, subtiliter & profundè penetrans, ingressum intrò, anima pascua occupat, vsque ad ima eius receptacula. Hunc autem in modum assimilabimus animam permixtumq; peccatum: veluti si fuerit arbor amplissima, que multos habeat ramos, & radices intima terra penetrantes: ita cum intimatorum anime loculorum pabula penetrans peccatum occupauit, in consuetudinem vertitur & preoccupationem, ac simul ab infantia cum vnoquoque capit incrementum, conuersatur, & vitia edocet. Quando ergo diuina gratia operatio, pro mensurâ fidei cuiusque obumbraverit animam, ac è superis auxilium ceperit, adhuc aliqua in parte adumbrat gratia. Quamobrem ne quis existimet, animam totam illustratam esse, multum adhuc vitij pabulum intus adest: nec modico opus habet homo labore, fatigationeq; equali, cum sibi collata gratia. Hac enim de causâ incipit gratia diuina particulatim in animam aduentare, que alioqui potest hora momento hominem perfectum reddere: sed vt probet, intentionem hominis, an integram erga Deum dilectionem seruet,*

nullum habens cum improbo commercium: sed seipsum prorsus gratiâ deuoueat: hocq; modo, pro tempore & opportunitate probata anima, vt que nullâ in re gratiam dolore vel contumeliâ affecerit, à modico sumpto initio adipiscitur auxilium. Quin etiam, ipsa gratia pascitur in anima, & ad profundissimas vsque partes & cogitationes eius mittit radices: postquam anima multi, occasionebus oblatis, proba habitata est, & gratia consentanea: donec ipsa tota absorpta est à celesti gratiâ, in ipso vaseculo in posterum regnante. Alia similitudine hanc ipsam peccati deliberationem committi conditionem scribit alio in loco: *Animalia, inquit, ratione carentia, sunt multò sagaciora quàm simus. Etenim horum vnumquodque, cum his, que sunt eiusdem nature, conuenit, agrestia cum agrestibus, & oues cum suâ specie. Tu vero minime reuerteris ad cognationem tuam celestem, que est Dominus, sed cogitationibus tuis te tradis, & assentiris cogitationibus vitiosis: factus aduorsus peccati, cuius ministerio, tecum ipso bellum geris, & ita, te ipsum hostis pabulum constutis, perinde, ac si deuoretur auis ab aquila rapta, aut ouis, à lupo, aut puer ignorans, serpenti manum porrigat, à quo depastus incendatur. Similitudines enim, gerunt velut effigiem rerum spiritualium.*

Profectum autem circa diminutionem habituum malorum cognoscitur.

Primo, si nunc sentimus inclinationem minorem ad peccata, acquisitam olim per actus prauos. Nam sicut habitus mali, producantur per actus malos, & augentur, ita per actus bonos, præsertim intensos, minuuntur, acquisito vel aucto habitu contrario bono. Et generatio bonorum, est corruptio malorum. Hinc S. Gregorius ponderans illud Psalmi, *Exercitatus sum, & defecit paulisper spiritus meus. Quid est, ait, spiritus meus, nisi spiritus hominis, videlicet, spiritus electionis: & quia per occultam gratiam, ad Dei amorem, temperat à desuper mensurâ proficimus, quanto nobis quodidie de Dei spiritu virtus crescit (crescit autem, vt docent Theologi, exercitio virtutum) tanto spiritus noster deficit. Qui spiritus erroris, quia non subitè penitus à nobis amputatur, bene (paulisper) defecisse perhibetur.*

Secundo, si nunc positiuam difficultatem sentimus, ad eisdem. Hoc qui ferè proficit in spiritu, assequitur, per mortificatos Dei beneficio inordinatos affectus, qui contrariis actibus refrenantur, & veluti cicurantur, & quandoque adeò efficaciter, vt vix sentiantur. *Affectuum carentia, inquit S. Macarius, pacatus est status anime, secundum quem, difficulter mouetur anima, erga militantiam. Hoc autem oritur, ex habitibus virtutum, qui contrariis, per actus virtutum acquisitis, acquirunt autem eos, qui proficiunt. Hoc commendat Abbas Chæremone apud Cassianum. Non possunt desideria præsentium rerum, (hec autem sunt rami, qui ex prauis habitibus nascuntur) reprimi, vel auelli, nisi pro istis affectibus noxiis, quos cupimus amputari, alij salutare fuerint introrisi. Nullatenus enim valet viuacitas mentis, absque alicuius desiderij,*

derq. vel timoris. vel gaudij. vel mororis affectione. sub-
sistere. nisi haec eadem. in partem bonam fuerint immu-
rata. Idcirco. si carnales concupiscentias cupimus. de
cordibus nostris extrudere. spirituales earum locis. plan-
temus protinus voluntates. vt his semper animus noster
innoxus. & habeat. quibus iugiter immoretur. ac ille-
cebras presentium ac temporalium. respiciat gaudiorum.
Qui autem respuit. difficulter ad eas conuertitur.

137. Tertiò. si nunc sentimus maiorem facilitatem
ad resistendum prauis tentationibus. negando
consensum. Periculosum est bellum. dum hos-
tes arcem obsidentes. vel urbem. cum prodito-
ribus ciuibus conspirant. *Vitia*. inquit B. Petrus
Damiani. *qua intra nos sunt. tentationibus in tenta-
tione concordant. & vires spiritibus iniquis admini-
strant.* Cum ergo vires hæc repressæ sunt. speran-
da est victoria. Theodorus Abbas. apud Cassia-
num. virtutem viri perfecti describens. inter alia
de eo commemorat: Quando ab omni diabolicâ
impugnatione securus. absque villo labore & difficultate.
vicia carnis vel respuit. vel abscondit: sicut è con-
trario. minimè proficientis est. leui tentatiuncu-
lâ perturbari. & leues molestias agrè ferre. *Vt*
vicera. inquit Seneca. *ad leuem tactum. deinde etiam*
ad suspensionem tactus condoleant: ita animus affectus.
*minimè offenditur. ad eò. vt quosdam salutato. episto-
la. oratio. & interrogatio. in litem enoet.*

138. Quartiò. si quasi quamdam conaturalem
sentiamus nauicam. omnium actuum prauo-
rum. & imperfectionum. ad quas per habitum
inclinabamur antea. & è contrario. ardens desi-
derium. & affectum efficacem ad executionem
boni. contrarij prauis habitibus. statim ac per
primam & simplicem apprehensionem. nobis
representatur cogitatio boni vel mali. Hoc
enim certissimum est signum. habitus vitiosos.
esse dissipatos. vel totaliter. vel magnâ ex parte:
& breui. per contrarios tales actus. totaliter
euellendos. Et ita S. Bernardus. describens viros
perfectos. qui in virtute magnos fecère pro-
gressus. ait: *Omne. tamquam naturale malum. res-
puum: & quod bonum est. amplectuntur. Quemadmo-
dum enim solis lumen. inquit S. Maximus. sanum*
*oculum ad se ipsum pertrahit. sic Dei cognitio. pu-
ram mentem. per charitatem naturaliter ad se ipsum*
allicit.

139. Quintò. si quis sentiat. quamdam moralem
impossibilitatem. ad omnes actus prauos. talem.
qualis erat in S. Ioseph sollicito à dominâ.
Quomodo. inquit. possum hoc facere. & peccare in
*Deum meum: Et in Apostolo: Certus sum. quia ne-
que mors. neque vitæ. &c. neque creatura aliqua pote-
rit nos separare à charitate Christi.* De talibus Chri-
stus ait: *Non potest arbor bona. malos fructus facere.*
Et. Omnis qui natus est ex Deo. peccatum non facit
(scilicet mortale vel veniale deliberatè) & non
potest peccare. Sic S. Euphrasia (apud Roswey-
dum) Virgo. Montialis. cum ab Imperatore mo-
neretur. vt nuberet cuidam. cui quinquennis

desponsata fuit. respondit per litteras: *Abstine ab*
*ancillâ tuâ. vt hanc impietatem faciat. Ego enim Chri-
sto consensu. & impossibile est eum me negare.* Non
quòd phisicè id facere nò posset. habebat enim
liberum arbitrium. quod poterat peccare. sed
ob habitum insignem castitatis. moraliter lo-
quendo. non poterat violare promissionem
Deo factam. *Tanta enim est vis. inquit S. Ambro-
sius. consummata emendationis (qualis est in his. qui*
valde profecerunt in virtutibus) vt vias erroris
*ignoret. crimen. etiam si velit. non possit admittere: im-
possibilitate. vt Theologi loquuntur. consequen-
te: nam antecedente possunt. ob liberi arbitrij*
mutabilitatem. Vt enim ait Abbas Theodorus
apud Cassianum. nulla virtus. potest immobiliter ab
homine possideri. sed vt parta iugiter teneatur. necesse
est. eam semper illâ. quâ acquisita est. sedulitate atque
*industriâ. custodiri. Et supra dixerat: Aliud est immu-
tabilis esse natura. aliud. virtutis industriâ. bonâ. cu-
stodiâ. per immutabili Dei gratiam. non mutari: quid-*
quid enim per diligentiam vel acquiritur. vel tenetur.
potest etiam per negligentiam deperire. Verumtam-
en. vt ait S. Bernardus. Verbo innoxus. & indu-
tum virtute ex alio nulla vis. nulla fraus. nulla iam
illecebra. poterit vel stantem deicere. vel subicere do-
minantem: hoc est. agrè poterit. rarò. difficulter.
& veluti casu & ex subreptione. Hoc sensu ex-
plicandus est etiam S. Prosper. dum ait: Charita-
tem Dei iunctam inseparabiliter. nulli vitio mutabili-
tatis esse obnoxiam. Et Abbas Paphnutius apud
Cassianum dicens: sectatorem suum. numquam ca-
dere finit charitas. supplantatione peccati. Certum
est enim. multos per peccatum mortale. chari-
tatem & gratiam Dei perdere. etiam prædesti-
natos: quidquid obganniant heretici. ob id et-
iam ab Ecclesiâ damnati. tum aliàs. tum in Cõ-
cilio Tridentino. Talem firmitatem in bono.
promittebat S. Barlaam sancto Iosaphat. à se ad
Christi fidem conuerso & baptizato. excitans
illum ad profectum in virtutibus: vt scribit in
eorum vitâ. S. Ioannes Damascenus. Si paululum
laboris in virtutibus acquirendis susceperis. atque ea-
rum habitum contraxeris. postea. Deo adiuuante. citra
laborem vllum proficies. Siquidem virtutis habitus. a-
nimè insitus. vt pote naturalem cum eâ cognitionem
habens. Deiq. ope adiuutus. vix omnino mutationem vl-
lam recipit: atque imprimis firmus est: quemadmodum
rides. fortitudinem & prudentiam. temperantiamq.
item ac iustitiam. vix omnino mutationem vllam ad-
mittere: propterea. quod anima habitus & qualitates
& operationes. sint eam penitus penetrantes. Quod
deinde exemplo illustri confirmat & explicat:
Vnde. inquit. etiam mihi quidam virtutis cultor. rem
huiusmodi narrauit. Cum inquit firmissimum diuina
contemplationis habitum. mihi comparasset. ipsiusq.
meditatione. anima mea tincta esset. huius rei pericu-
lum aliquando facere cupiens. mentem meam ita con-
tinui. vt eam. pro suo more. meditationi sese adiunge-
re. minimè sinerem. Quod quidem id eam agrè ac per-
molestè ferre intellexi. atque ad eam estranata quadam
cupi-

hom. 49

Opus 15.
de perf.
cap. 21.

Coll. 6.
cap. 10.

l. 1. de ita
cap. 10.

137.

l. 1. de ita
cap. 10.

ser. 10. in
Cant.

Cant. 1.
de char.
n. 31.

138.

Cent. 1.
charit.
num. 16.

Gen. 39.
9.

Rom. 8.
38.

Math. 7.
18.

1. Io. 3. 9.

In Vitis
38. P. P.
l. 1. c. 13.

In Pf. 118.
oct. 22.

140.
Coll. 6.
cap. 16.

ser. 85. in
Cant.

1. 3. vit.
cont. c. 13.

sess. 6.
can. 23.

cap. 19.

c. 20. vit.

cupiditate properare, nec ad contrariam ullam cogitationem, vilo modo inflecti posse.

141.

Porro, ne per habitus prauos, tamquam hostes domesticos, & proditores intromissos, diabolis notos, arcem animæ nostræ, eius hostes demones expugnent, & thesauros virtutum, in eâ inclusos diripiant, omnia foramina obstruenda sunt, per quæ, vel ad potentiam aliquam animæ, vel ad sensum membrumve aliquod corporis, immissa ex inferno tentatio, ingressum, & deinde moram habere queat. *Omnes rima, inquit S. Cyprianus, ne dicam porta, claudenda sunt, ne per foramen vnum, castra omnia penetrentur; & vniuersa sunt componenda munimenta, ne per modicum non munitum, tota ciuitas ruat.* Et quidem in oppugnatione visibilium hostium, facilius est ratio, quia dum inuadunt non munitam partem, agnoscere possunt: at difficile negotium, cum hostibus, qui aciem effugiunt oculorum, dum intrant omnia direpturi. *Sapius namque, inquit S.*

I. de sing. Cler.

hom. 19. ad pop.

Chrylostomus, domos adificantes homines, & restum imponentes, vnius tegula excusse curam non gerentes, totam domum perdididerunt. Et in vestimenta idem euenire, quis cernere possit. Etenim parua in illis facta scissura, nec resarciata, magnam fecit disruptionem. Hoc & in torrentibus multoties euenit. Etenim & illi, si vel minimum caperint ingressum, totum introducunt fluentem. Itaque & tu, licet te vndique munitis si tamen aliqua pars, immunita dimissa est, hanc etiam diabolo obstrue, vt sis ab omni parte firmatus. Illa autem præ ceteris pars obstruenda est, quæ est debilior. Illa verò debilior est, in quâ habitus alicuius frequentioris vitij, altas egit radices, vt in tyronibus, olim vitæ liberioris, solet esse habitus incontinentiæ & gulæ: in alijs, alij.

142. Reg. 14. de disc. mor.

Aduersarius enim noster, vt obseruauit S. P. Ignatius, solet imitari atque belli Ducem, qui obsessam arcem expugnare atque deperari cupiens, exploratâ prius naturâ & mutatione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic nimirum & ille, circuit animam, & callidè inquirat, quarumnam virtutum presidij, moralium scilicet, aut theologiarum ipsa vel munita, vel destituta sit: & que potissimum parte, machinis omnibus admotis, irruit, ac subvertere nos sperat quam in nobis, minus ceteris firmatam, custoditamq; esse præuiderit. Sed hac in re nobis fidendum non est. Præui enim habitus, sunt velut astutæ vulpeculæ, quæ se mortuas fingunt, vt auiculas ad cadaueris speciem aduolantes, capiant incautas. Ad certum enim tempus, inquit S. Macarius, vitium desit perturbare per concupiscentia suggestionem, ita vt audeat homo iure iurando affirmare, in se vltra non excitari talem affectionem: tamen paulo post, vritur concupiscentia vitio ita, vt in eo perurus inueniatur. Dat enim operam mal'ita, vt lateat, & secretò habitet, in mente hominis. Quocirca etiam ad breue tēpus, non sentiantur inordinati prauorū habituum impetus, signū non est, nos iis carere; sed tunc coniectura est, extirpatos esse, quando longo tēpore in frequentibus occasionibus, & difficilibus nō erupūt.

143. hom. 15.

Postquam autem, erupisse eos agnouimus, & expecti sumus, eos, multis actionibus inordinatis, ac diuturnâ consuetudine roboratos, non putemus eos posse (ordinariè loquendo) vno dissipari impetu, & veluti vno ictu, sed imitandus est S. Dorotheus, Magister Dosithei adolescentis sibi à Serido Abbate in spirituales disciplinam traditi, quem cum videret gulæ olim in sæculo deditum, vix sex libris panis, in vno prandio esse contentum, reduxit eum ad octo uncias: iubens eum per aliquot dierum intervalla, sensim aliquam exiguum panis partem sibi detrahere, & ita paulatim, maiorem ac maiorem demendo, ad moderatam cibi quantitatem, quasi sine sensu famis & gulæ, suum tyronem perduxit.

CAPVT OCTAVVM.

De quinto gradu spiritualis profectus, exi gente perfectum modum operandi.

Post ablata vel diminuta, quatuor genera malorum, in præteritis capitibus explicata, nunc ad alteram profectus spiritualis partem, accedendum est; sitam in acquisitione bonorum. Cum enim in hoc, & in alijs Opusculis, medici partes assumpserim, hoc ordine procedendum mihi fuit. Siquidem etiam Hippocrates, & S. Basilius Medicinæ officium ait esse, *auferre quæ superant, seu noxia sunt, & apponere ea, quæ desunt & profunt.* Videamus itaque bona, quæ acquirenda sunt, homini proficere in virtutibus cupienti.

Alter pars ad profectum omnibus communem spectans, est incrementum bonorum. Hoc in eodem loco Ieremiæ indicati, bene ait Abbas Nestero, loco citato: *vt adifices, & plantes.* *Debemus enim, inquit ille, in perficiendis virtutibus, in his quæ ad iustitiam pertinent, acquirendis, adificare tantummodò & plantare.* Et ex hoc sanctus Spiritus per Prophetam loquendi modo, statim deducit difficilius conuelli, atque eradicari, inolitas corporis atque animæ passionēs, quam spirituales extrui plantarig, virtutes. Eò quòd circa illas, quatuor Propheta præscripserit, *Euellere, Destruere, Dissipare, circa has, duo tantum; Adificare, & Plantare.* Vtroque modo proficiunt, qui in incremento bonorum & virtutum proficiunt. Sed non omnes æquali passu. Nam vt Deus Patet, dixit B. M. Magdalenæ de Pazzis & habetur in eius vitâ: *Ego aliquos ad me per scalam verborum filij mei ascendentes, aspicio, tamquam paruulos, qui quasi non mouent passum; aliquos deinde intueor, mouentes passum, verum lentè procedentes; alios ambulantes, alios currentes. Paruuli sunt, pusillanimis, qui vix mouent passum, quia eunt cum tanto metu, vt videantur me non agnoscere Deum, illâ bonitate quam habeo, præditum: & non me tenent pro patre, sed pro iudice.*

iudice illi, qui mouent passum, sed valde lentè procedunt, sunt inconsiderati, qui statim volums facere vnum saluum, & reperuntur retro. Isti non constituentur meâ sapientiam, & declinant ad dextram, & ad sinistram. Alij qui ambulant & non currunt, sunt qui ambulans cum charitate mortuâ, quia volunt aliud quàm meam voluntatem simpliciter & purè, se quarendo in aliquâ re. Hi quodammodo negant meam puritatem, quæ non vult admixtionem rei creatæ, vel amoris, vel affectus, erga seipsum. Alij currunt (sed heu quàm rari!) qui sunt mortui, quia non querunt, nec Deum, nec Angelos, nec Sanctos, nec purgatorium cum proprio interese, vel ad acquirendum aliquod bonum, vel ob aliâ etiam spiritualem complacentiam; sed id volendo quod ego volo, & ita me inueniunt, & videntur quod me non querant, quia semper eorum affectus, absque eo quod cognoscant, quid faciant, est totus in me, ac si non haberent, nec vitam, nec sensum, sed totus ipsorum sensus, vita & operatio, est absorpta in me. Et vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Et hi currunt in morte vitali, quia talis mors est, verè vita, & viua mortalitas. Talis vt sis volo, tales dicere possunt: Vituo ego, iam non ego

147. Porro per Edificationem, mihi videtur cõmendate Deus, frequentationem, seu exercitium bonorum operum, quæ etiam sine vlllo habitu præcedente, per auxilia gratiæ diuinae, possunt fieri à nostro libero arbitrio, & tamquam ædificium quoddam virtutum erigunt, vt docet S. Ignatius Martyr, S. Dorotheus, S. Hieronymus, Cassianus, S. Bernardus, & S. Thomas. Et sicut erecti ædificij parietes, firmiter subsistunt; ita per frequentationem bonorum operum, habitus virtutum acquisiti, permanent in animâ, ex quibus deinde, aliæ actiones virtutum emanant propriis & iucundiis. Quemadmodum cibo hac vita sustentatur, inquit Chrysostomus, quem mox eadem illa subministrat, sic si bonis actionibus admittamur, spiritu potiemur; (per acquisitionem habituum permanentium) quo parito, & bonis operibus abundabimus: quibus contra si caruerimus, idem à nobis spiritus auolabit; quo destitutos, necesse erit, circa res gerendas claudicare: siquidem spiritu hoc decedente, impurus succedet: quod liquidò potest in Saule cognosci. De hac frequentatione bonorum operum B. V. Maria, cuidam militi, in spiritu audiente S. Brigittâ, dixit: Sicut de arbore, multi procedunt palmires: sic de animo spirituali exercitatione, & operatione, omnis procedit tua perfectio.

Profectus autem circa bona opera, cognoscitur ex his.

148. Primò, si fiant omnia, non ex consuetudine, sed ob finem supernaturalem præuisum. Inter conditiones operis boni S. Maria ponit, Non facere iustitiam, seu iustitia opera, propter saourem humanum, seu cupiditate mundi, sed amore solius Dei. Et hoc est, quod nobis, efficaeibus verbis inculcat, S. P. N. Ignatius: Omnes rectam intentionem habere

studeant, (Hispanice se effuercent) non tantam circa vitam suam statum, verum etiam circa res omnes, id semper in eis sincerè spectantes, vt seruiant, & placeant diuinae Maiestati, propter seipsam. Et infra: Crebro admonentur, (Hispanice exhortados à menudo, hoc est minutim), & minimis etiam de rebus admonentur) vt in omnibus querant Deum (Hispanice additur, Dominum nostrum) exuentes se, (Hispanice apretando) propriè amouendo (quanto es possibile) quantum fieri potest, amore creaturarum omnium, & affectum vniuersum, in earum creatorem conserant, eum in omnibus creaturis amando: & omnes in eo, iuxta sanctissimam ac diuinam ipsius voluntatem. Excelluit in hoc, B. Maria Magdalena de Paz. c. 75. vitzis, quæ dicebat: Si crederem me vno solo verbo, dicto ob alium finem, quàm ob amorem Dei, etiam si non esset eius offensa, posse euadere Seraphinum, nunquam illud dicerem.

Secundò, si fiant sine admixtione peccati corruptentis meritum. Pulchrè hoc explanat S. l. 6. l. 2. a. 3. ad 1. Ambrosius, ponderans illud Psalmi, Custodi me vt pupillam oculi. Tutum auxilium postulat Propheta; vt protectionis diuinae, fieret ei tam sollicita & tuta custodia, quàm pupillam oculi, tutissimo quodam natura è vlllo, munire dignatus est. Quia innocentia & integritas, leui sorde aspersa violatur, & gratia suæ munus amittit. (Maximum autem munus innocentia, est meritum) & idèd prospiciendum est, nequis eam puluis erroris obliuet, aut vlla vexet festuca peccati. Peccatum enim, etiam veniale, opus cœdans, immeritorium facit. Nullus, inquit S. 2. 2. q. 132. Thomas peccando meretur vitam æternam; vnde op. a. 3. ad 1. pus virtuosum, amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fiat, etiam si illa inanis gloria, non sit peccatum mortale.

Tertio, si fiant, sine admixtione peccati etiam non corruptentis meritum, (vti corrumpit voluntaria distractio, orationem) sed adiungentis se operi meritotio, quasi extrinsecè vt si quis deuotè orans, & bono fine, daret mendico elemosynam, ob inanem gloriam, vel vt ait S. Climacus: Dum quis, ore agit Deo gratias pro beneficiis, sensu, (id est mente) superbe de eis gloriatur. Quamquàm talis gloriatio, inficere etiam solet gratiarum actione: potest tamen non inficere, si oratur, non ex inani gloriatio, ex quâ Pharisæi gloriatio orta fuit, vt ait Climacus, & patet ex Euangelio. Tale quidem peccatum non lederet ipsam substantiam operis boni, & pulchri, & meritotij sed tamen quodammodo rem nitentem obsecraret. Displicet autem, ait S. Bernardus, Ep. 149. in pulchro corpore, non solùm morbus, sed & nauis. Non prodest peccanti, inquit S. Ambrosius, alterius criminis abstinentia, si in altero fuerit deprehensus. Et Christus Dominus S. Brigittæ dixit: Ego si intra v. s. uero in partem vnam mentis munda, quæ mihi erit consolatio, si ex parte aliâ sentiatur sector: idèd depelli debet quod sordidum est. Hoc omnes Christiani cauere debent. Nam, vt ait Lactantius: In religione Christianâ, pro sacrificio exigitur bona mens, purum pectus,

pectus, innocens vita. Hic communi & leui peccato, locus est nullus. Quamò magis Religiosi. Contentus erat Aristoteles, ut ille qui in alios dominatum habet, vel sit virtutum consecutus, vel salutem sit *μηδ' ἄλλο γένος ἢ τὸ ἠμετέριον*, semibonus, semimalus: at Christiani, multò magis Religiosi, esse debent plenè boni, ac proinde in illorum operibus bonis, nulla debet reperiri malitia peccati, non tantum vitiantis substantiam operis, sed nec ei se adiungentis, si volunt magnum in virtutibus profectum facere. Si ergo, de virtute in virtutem, & de profectu in profectum, vultis ascendere, inquit S. Anselmus; *semper timete, in singulis minimis Deum offendere.*

Ep. 6 ad
Mō. Cist.

151.

Quarò, si fiant tam accuratè, uti fierent, spectante eo, cui natura placere cuperet. Imitantur hi architectos, præclarum aliquod ædificium erigentes, qui in virtute proficiunt; omnia enim vult, ad amissim, pulchrè & solidè aptant. Quà de re pulchrè Plutarchus, concludens libellum suum, de agnoscendo in virtutibus profectu, sic scribit: *Maceriam aliquam aut sepe conscientibus, nihil refert, obuium quodque lignum, aut lapidem, humi iacentem adhibere, aut columnam à monumento aliquo delapsam, subicere; quomodo & homines vitiosi, omnia promissè sancta, omnes temerè actiones congerunt, ac coaceruant. At qui in virtute exercendâ proficiunt, quibus vita, veluti sacri ac regij adificij, iactum est aureum fundamentum, nihil eorum que temerè aguntur, admittunt, sed veluti amissi rationis, aptant singula, atque concinnant. Quo de adificio, vsurpari potest, Polycleti dictum, qui, difficillimum opus, eos tractare pronuntiavit, quibus, lutum est ad vnguem exigendum.* Hæc Plutarchus: qui sanè Christianorum rem attingit, à quibus, minimorum operum (quæ videntur esse vilia instar lutii) rationem exigit Deus; idèò omnia aptè, & accuratè facere debent, in adificio, quod erigunt virtutum.

1. Cor. 3.
9. 10.

Omnibus enim dictum est ab Apostolo: *Adificatio estis Dei, unusquisque autem videat, quomodo superedificet. Nemo autem contentus sit pius desideris, sed iis pia opera subiungat, exactè facta.* Nam, ut scribit S. Gregorius, *signum amoris non est in affectione animi, sed in studio bone operationis.* Vnde & in Euangelio Dominus præmisit dicens: *Qui habet mandata mea, & facit ea, hic est qui me diligit.*

152.
Coll. 6.
cap. 10.

Quintò, si omnia fiant diligentius, quam antea, & perfectius. Idèò Abbas Theodorus apud Cassianum, describens virtutes viri perfecti, hoc ei inesse ait: *Cùm futura, per excessum mentis, non solum ardentissimè concupiscit, verum etiam, clariùs intuetur, cum efficacius, spiritualibus pascitur Theorijs, cum lucidiùs sibi referata conspicit caelestia Sacramenta, cum orationes purius atque alacriùs emittit ad Dominum.* Vno verbo, si semper proficit in bonis, uti quisque studiosus perfectionis debet. Qui in & Galenus Cuique, inquit, *curandum, ut aliquando vivat continentius, & melius hodie, quam heri, &c.* Quà in re semper collimandum est, ad perfe-

1. 6 de curand. ani. morb. Coll. 9. cap. 15.

ctissima quæque, & ut vult Cassianus, *ad ipsam. Et consummationem virtutum.* Nam ut docet S. Am- brosius: *Imitatores sui nos esse Deus voluit, ut prius faciamus aliqua, postea venustemus; & semper venustemus magis ac magis.* Simus ut Hieron laudatus à Pindaro, quem ait solitum, decerpere summitates virtutum à singulis, id est, in omnibus esse perfectissimum. Nobis dictum putemus illud Theodorici Regis monitum, apud Cassiodorum: *Calpæ genus est non te secisso quod summum est.*

CAPVT NONVM.

De sexto gradu spiritualis profectus qui est incrementum bonorum habituum.

Secundum caput spectans ad incrementum bonorum, consistit in plantatione bonorum habituum, quibus, ut ait Abbas Nestero apud Cassianum, *mens nostra, non iam velut coacta, & quasi violento imperio subiecta famulatur, sed tanquam naturali bono delectatur atque pascitur, & arduam illam atque angustam viam, cum oblectatione conserdit.* Nam, ut inquit S. Chrylogus: *Quæ de vsu veniunt, non fatigant.* Hi habitus sunt quali radices & plantæ bonorum operum. Et ut ait Aristoteles, *actionibus deservi, & diudicari solent.* Sed melius S. Bernardus, iustum vocat, vineam, & in eo, vitem, ait esse virtutem: *botrum verò, bonum opus ab habitu virtutis, instar botri, & palmitis, productum.* Hi habitus, per frequentationem bonorum actuum acquiruntur, & ut dixit Epictetus apud Atrianum, tamquam vibices perictum imprimuntur. Et hoc ignorare, esse valde stupidi hominis, docuit Aristoteles. Augenter autem, quous actus, etiam remissio, ut bene docet P. Thanner, eitan, Henricum, Scotum, Durandum, Valquez, Valentiam, Suarez, contra Caetanum, Medinam & Bannez. *Virtutes, inquit S. Bernardus, non natura, sed vsus facit.* Et ut ait Aristoteles, *sicut adificando adificatores, cybarizando cybarædi efficiuntur, ita quoque iusta agendo, iusti, temperantia, temperantes, fortia, fortes euadimus.* Non dat natura virtutem, inquit Seneca: *Ars est, bonum fieri, virtus non contingit animo, nisi insituro & edocto, & ad summum, assidua exercitatione perducto.* Omnis habitus & facultas, ait Epictetus, *assiduis actionibus conseruatur & crescit.* Et ut ait, Plutarchus, in libello supra citato: *si vel parum pergas superaddere paruo, idque frequenter agas, magnum citò habebis aceruum.* Non de pecuniâ dumtaxat augendâ, verum est, sed ad omnia pertinet, maxime, ad virtutis incrementum, cum ad doctrinam, assidua atque efficax adiungitur assuetudo. Contra, inaequalitates, ac segnitates philosophantium, (sic appellat, virtutum studiosos) non modò inhihent progressus, veluti iter interrumpentes institutum, sed etiam regressus. *Causa sunt cum subsistentem, vitia identidem per omnia adoriantur.*

ac retro auferant. Errantes quidem stellas, Mathematici: finito earum in anteriora progressu, insistere perhibent, ac in philosophando, profectus nullam facit intercapedinem, nunquam intermittit, aut subsistit, sed ingenium semper aliquo citatum motu, ac veluti in trutina situm, nunquam non momento aut ad meliora facta fertur, aut in aduersam partem, ad mala exitiose impellitur. Qui ergo proficere vult, studeat virtutum acquisitioni, & de hac magis sit sollicitus, quam de peccatis defendendis. Ideo noster P. Petrus Faber, eximie sanctitatis, focius S. Ignatij, malebat propter virtutum inopiam, quam propter quotidianas noxas minimas, compungi. Quo in errore, hi plerumque versantur, qui, sanctitati praeter ceteris student, vt ad errata quotidiana, magis intendunt aciem, quam ad lucra virtutis. Cuius & aliquando fraudis. Fabrum pigrit, studiosus forsitan profectus: atum artes errandi, atque cadendi, vt ipse in quodam suo scripto loquitur, quam ipsa decora & ornamenta virtutum. Quamquam enim virtus est, vitia sugere, vt praestans Poeta ipse dixit, tamen, in vni deplorandis contemplandisq; peccatis, perpetuo harere desitum, nec ad maiora & potiora suspicere, id animi retardat impetum, grandia molientis, & ipsa infringit atque hebetat incrementa virtutis, que denique ipsa esse non possunt, sine fuga & diminutione vitiorum. Haec ex scriptis P. Fabri decerptit P. Nicolaus Orlandinus in eius vita.

Potro profectus in incremento bonorum habituum, hinc cognoscitur.

Primo, si promptius & facilius fiant opera bona, siue imperata, siue ea, quae vocantur, ex supererogatione, quam antea. Inquietum est quid natura virtus, ait S. Theodorus Studita, quae haud cessat vnquam, quin praedatos se, in melius prouehat semper. Quod demonstrans Apostolus ait: Quae retro sunt obliuiscens, ad ea vero quae sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor ad brauium superne vocationis, in Christo Iesu: vt quies sit in virtute nulla. Nam a virtute quies, vitij est exordium. Itaque nec nos quiescamus fratres, a virtutis curriculo sed assiduo pernicem ac nouitij, e robore in robur prouehamur, dum in virum adultum euadamus, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, frequentando, tum ordinaria opera, tum heroica, contraria habitibus malis. Vt cobibeas inclinationes prauas, siue communes, siue proprias, inquit S. Augustinus, iis te virtutibus exerceas, quae illis maxime contrariae sunt.

Secundo, si non tantum promptius fiant, sed cum minore repugnantia amoris proprii, vel naturae vitiae, & sine quadam violentia & quasi coactione naturae. Nimirum, vt quemadmodum ait Abbas Nestero, ita virtutum perfectione, mens sit nostra formata, vt illis, non iam coacta, & quasi violento imperio, subiecta famuletur, sed tamquam naturali bono delectetur atque pascatur. Hanc repugnantiam in bono, abigit frequentatio bonorum operum. Nam vt docuit Christus Dominus, S. Brigittam: Ego habeo vnum gazophylacium, in quo sunt reposita, & graua quasi plumbum,

& cella, vbi ista sunt, est circumsepta aculeis pungentibus. Sed qui hoc primo incipit vertere, & reuoluere, & deinde portare didicerit, leuia videntur sibi postea, quasi pluma, & sic leuissima fiunt, quae antea ponderosa videbantur; & suauia, quae antea pungere videbantur. Hoc gazophylacium, est amor meus, via quae ducit ad illud, est abnegatio, & abiectio propria voluntatis. In amore autem meo, videtur aliquibus, esse onus, quasi plumbum, quia cum ieiunare debent, & vigilare, seu, refrenare carnem, quasi plumbum sibi portare videntur. Si autem verba & contumelias audierint, si in Religione, & Oratione morantur, quasi inter aculeos resident, & in omni hora angustantur. Sed qui in amore meo esse vult, incipiat primo vertere onus, id est, faciat ea quae potest, cogitando sic: Hoc bene facere possum, si Deus dederit mihi auxilium, deinde persequens in incepto, cum tanta alacritate, quae videbantur sibi prius esse onerosa, incipit portare, quod omnis labor in ieiunijs, seu vigilijs, & alijs laboribus quibuscumque est sibi tam leuis, quasi pluma. Et in tali sede quiescunt amici mei, quae est malis & desidijs, quasi circumsepta aculeis & spinis: sed amicis meis est summa quies, & leuis quasi rosa. ad hoc gazophylacium, est via recta, contemptus propria voluntatis, quando homo considerat a passione & charitate mea, non curat facere voluntatem suam, & resistit totis viribus, & conatur semper ad maiora. Et licet ista via, in principio, sit aliquantulum grauis, tamen in processu multum delectat, in tantum, quod ea, quae prius videbantur ad ferendum impossibilia, fiunt postea leuissima, vt merito dicat intra se: Iugum Dei suauis est.

Tertio, si fiant cum quodam gustu, ac delectatione maiore quam antea. Hoc promittebat S. Barlaam sancto Iosaphat a se conuerso: Omnibus, inquit, viribus, assuesce virtutibus: easq; ita cole atque exerce, vt earum habitus tibi comparetur. Nam si paulum laboris in ipsis susceperis, atque earum habitum contraxeris, postea, Deo adiuuante, citra laborem vllum proficies. Hinc subsequitur alacritas & iucunditas quaedam. Si alacriter demus, duplex erit elemosyna: & quia damus, & quia hilariter damus, inquit S. Chryostomus. Et Spiritus sanctus monet: In omni nato, hilarem fac vultum tuum. Sic profecerat Augustinus dicens: Quam suauis mihi subitofactum est, carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Ecce, inquit, in intrabas pro eis, omni suauitate dulcior. Hoc exigit Abbas Nestero, apud Cassianum, vt mens nostra, arduam illam, atque angustam viam cum delectatione conscendat. Plutarchus vero in libro citato. Cum hoc, inquit, aut eadem, aut proxima ei est antiquissima illa Hesiodea, profectus declaratio, cum iam non amplius ardua, aut nimis accliuus est via, sed facilis ac plana, expedita, quippe excitando leuigata.

Quarto, si fiant cum feruore, & actuum intentione, maiore quam antea. Hoc inter signa virtutis perfectorum ponit Abbas Theodorus apud Cassianum: Cum ita spiritus ardore succensus, ad ea quae inuisibilia sunt & aeterna, tota animi ala-

155. l. 2. vitas cap. 11.

Hor. l. 2. epist. ad Meccan.

156.

157. 108.

Philip. 3.

11. de Napt. & con. c. 25.

157.

Coll. 14. cap. 3.

l. 2. ten. cap. 15.

158.

c. 19. vit.

to. 4. in illud. O-

portet haereses esse.

Eccli. 35.

11.

1. 9. Conf.

cap. 11.

Coll. 2. 4.

cap. 3.

159.

Coll. 6.

cap. 10.



critate transmigras, ut nequaquam se credat iam in carne consistere. hoc est, ac si non esset in carne, sed totus spiritus quidam, ob feruorem spiritus. Imò lumine nature edoctus Plutarchus in Moralibus ait: *Ut non est verus amor, qui caret zelotypiâ, ita non amat vehementer virtutem, nisi qui ardet emulatione rectè factorum ab aliis.* Idèd S. Climacus ait: *Monachus est qui ita virtutibus affectus est, ut esset voluptatibus aliis, scilicet cum affectu magno & feruore.*

gr. 22.

160.

serm. 7.

ho. 1. ad Philip.

serm. 85. Cant.

1. de vera reli. c. 16.

Ep. 6. ad Astenioras. to. 4. bibl. SS. PP.

Quid, si fiant modis dictis, magis constanter, etiam tempore aduersitatum, & contradictionum, & aliorum motiuorum, suâ specie & gustu, auocantium à bono. *Quanto magis anima profecerit, ait S. Dorotheus, tanto robustior efficitur, & ad quavis molesta ferenda validior. Adèd violentus debet esse amor virtutis, ait S. Chrysostr. atque ut ita loquar tyrannicus, ut nulli cedat occasione, sed continenter inhareat amanti animo, neque committat ut vlla afflictio, aut vllus labor superet animum.* Nam ut ait S. Bernardus, *Virtus si perfecta sit, facillè animum victorem sui, & inuictum reddit ad omnia.* Benè dixit, *Ad omnia, scilicet non tantum ad aduersa, sed etiam ad prospera, quorum desiderio multi resiliunt à studio virtutum.* Hoc robur animi S. Augustinus appellat quartam aetatem interioris hominis firmius ordinatusq; rectè viuentem, & peccata vitantem, & emicantem in virum perfectum, atque aptam & idoneam omnibus etiam persecutionibus, & mundi huius tempestatibus ac fluctibus sustinendis atque frangendis. Talia tempora ostendunt in homine, magnum in virtutibus progressum. Nam ut scripsit S. Antonius Abbas: *Tempore ventorum prosperitatis, omnis gubernator plaudis sibi in contraria vero quaque ventorum, omnis gubernator manifestatur.* Quilibet nostrum gubernatoris instar, suâ animæ nauiculam dirigit, per mare huius vitæ, tot fluctibus ac tempestatibus obnoxium. Dum ergo non cedit illis, & in rectâ ratione viuendi perseverat, bonum se exhibet gubernatorem, & huius artis valde peritum, quod non nisi per magnum in virtutibus profectum, consequitur. Qui ergo constans est in eo, & tam amara quàm suauia repellit præ amore virtutis, ostendit se in eâ magnos fecisse profectus. Quâ de re ita libro citato Plutarchus: *Quoniam philosophantibus, (hoc est virtutis studiosis, hac enim phrasi, etiam SS. Patres Græci virtutibus deditos, appellant) non modò à seipsis incidunt, quibus eos imbecillitates etiamnum concussant, & in diuersam partem auertant, sed & seria amicorum consilia, & diuersorum reprehensiones, ioco risuq; mixta flectunt, & molliunt: nonnullos etiam profusus è philosophiâ excusserunt, non leue iudicium profectus fuerit, equanimitas hominis erga talia non perturbati, neque morsum passi, cum ei narratur, equales aliquos ipsius in aula Regum florere, aut dotatas duxisse vxores, aut cetera hominum stipatos in forum, petendi magistratus, vel patrocinandi gratiâ descendere. Qui enim aduersus talia imperterritus est, neque eis mulcetur, eum*

constat iam, ita uti debuit, captum, deuinctum philosophiæ esse. Et infra. *Quas res multitudo plurimi facit, eas conuenire, nisi verâ, constantiq; animi prædicatione, potest nemo.* Quod antiquorum illustrat exemplis. Tandem concludens hanc partem, subdit. *Cum itaque virtutem hoc modo externis rebus apponens, inuidias, obreclationes, aliosq; id genus affectus, qui multos philosophari orfos, vrunt, atque animum deprimunt, eieceris, id magnum argumentum tibi, tui sit profectus. Et post multa. Qui eo ad virtutem inuictus fertur, ut eius admirationem, atque emulationem, ne ea quidem reprimant, qua videntur gratia esse mala, eum, nulla porro res, ab honestatis studio auerteret.*

Sextid, si facilius fiant modis supradictis. Hoc est, celeritè, statim, ad primam simplicem apprehensionem & cogitationem, quasi conaturaliter, sine præuisiu motibus, aptis ad excitandam voluntatem, ad ea peragenda. Hoc commendat in Iob S. Gregorius. *Potentem, inquit, vi duam expectare noluit, ut non solum ex munere, sed ex celeritate quoque muneris, bonorum operum merita auerteret.* Hinc & Spiritus sanctus ait: *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum statim posu dare.* Nam ut scripsit S. Ambrosius: *Opus Dei, præproperam etiam festinationem exigit.* Et hoc Cassianus ponit tanquam effectum charitatis, *acquisitæ per certos gradus humilitatis, quæ ed perducit, ut vniuersa, quæ prius, non sine pœna formidinis obseruabas, absque vlllo labore, vel naturaliter, incipias custodire, non iam contemplatione supplicij (en quomodo omnia motiua amouet) vel timore illius, sed amore ipsius boni, & delectatione virtutum.* Talis erat S. P. Ignatius de quo apud Orlandinum, dicebat P. Andreas Erusius (quem Ignatius aliq; not, ob innocentiam vite, singularemq; sapientiam, Angelo simillimum iudicabant) *calestem Christi gratiam in Ignatio, quasi ingenitam ac naturalem videri, adèd constanter, ac semper vbique, adeoq; facile, modum virtutemq; seruabat.* Inter effectus enim donorum Spiritus sancti, præsertim sapientiæ diuinæ, vnus est, ut docet S. Thomas, *facere rectitudinem iudicij, circa res diuinas, vel per regulas diuinas de aliis ex quadam conaturalitate, siue vnione ad diuina, quæ quidem est per charitatem.* Quæ tamen conaturalitas, non est naturæ beneficium, sed gratiæ Christi, denotans plenitudinem virtutis in gradu intenso: ex quâ promptitudo tanta ad supernaturalia opera proficitur ob merita Christi, quanta in causis naturalibus cernitur, dum naturaliter operantur, & suos producent, sine impedimentis extrinsecis, effectus. Sic intelligendus est S. Athanasius scribens de S. Antonio: *Sanctum, inquit, toleranter laborem ferebat, quia voluntaria seruitutis longum in Dei opere studium, consuetudinem in naturam verterat.* Septimid, si quis sentiat se vehementer dispositum, ad faciendâ omnia, nullâ re exceptâ (preter solum peccatum) quæcumque ei imponetur, et si essent difficillima, & eum maximè confutura

161.

1. 11. mo.

cap. 11.

Prou. 7.

1. 8.

1. de 4.

man. 1.

2. 6.

1. 4. c. 39.

fin.

1. 16. h. 11.

1. 13.

2. 2. q. 41.

2. 2.

c. 5. rit.

162.

fusura coram aliis, inò talia expetat. Et prætere-
rea, si veluti quamdam impossibilitatem mora-
lem in se experiatur ad contraria habitibus vir-
tutum vitia; signum est habituum, in gradu alti-
ssimo plantatorum. Nam vt ait apud Cassia-
num Abbas Paphnutius: *Charitas est sancta, perse-*
cta, & seruens, qua sectatorem suum, nunquam sinit
cadere supplantatione peccati. Talis erat Apostolus,
& ei similes, vti scribit ipse: Quis nos separabit à
charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames?
an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?
&c. Certus sum, quia neque mors, neque Angeli, &c.
neque creatura alia, poterit nos separare à charitate
Dei, que est in Christo Iesu Domino nostro. Ad hunc
profectus gradum excitabatur Abbas Chera-
mon apud Cassianum: Nobis, inquit, studendum
est, vt ad charitatem Dei, vel ipsarum virtutum amo-
rem, profecto mentis conscendamus ardore, vt transmi-
grantes in affectum boni ipsius, immobiliter, quantum
possibile est nature, quod bonum est retentemus. Felix
est talis anima, transit enim in diuinam quam-
dam stabilitatem in bono. Vnitus spiritus cum
Deo, inquit S. Bernardus, hominis cor sursum habentis
proficientis in Deum, voluntatis est perfectio. Cum
iam non solum vult, qua Deus vult, sed sic est, non tan-
tum affectus, sed etiam in affectu perfectus, vt non possit
velle, nisi quod Deus vult: velle autem quod Deus vult,
hoc iam simile Deo esse, est: non posse velle, nisi quod
vult Deus, hoc est iam esse, quod Deus est: cui iam velle,
& esse id ipsum est.

Talis erat S. Ignatius Martyr, qui in epistolâ
ad Romanos, inter alia scribit: *Vitam fruar be-*
stis, qua mihi sunt preparata, quas & oro, mihi velo-
ces esse ad interitum & ad supplicia. Et alii ad com-
endum me, ne sicut & aliorum Martyrum, non au-
deant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego
vim faciam. ego me vrgebo vt deuorer. Ignoscite mihi
filii, quid mihi proficit, ego scio.

163. Ostendit, eximia est profectus nota: si quis, non
tantum in se, ita vt dictum est, profecerit, sed et-
iam, tales alios effecerit suo studio, exemplis,
monitiisque. Talis qui est, meretur illud Plinij
encomium, quod dedit Traiano Imperatori:
Tanto laudabilior es, quod cum ipse sis optimus, omnes
circa te, similes tui effecisti. Quod quidem iis po-
tissimum curandum est, qui vel præfunt aliis,
vel ad talem statum sunt vocati, cuius finis est,
in aliorum quoque salutem ac perfectionem
incumbere: ij enim conari debent iuxta Apo-
stolum, vt exhibeant omnem hominem, perfectum, in
Christo Iesu. Nec contenti debent leui aliqua
perfectione, sed ad altissimam aspirandum est.

Orat. 5. Medici animarum, inquit S. Gregorius Nazianze-
nus, scopus est, anime pennas addere, ac mundo eam
eripere, Deoq; dare, & Christum, per Spiritum san-
ctum, in pectoris domicilium admittere, atque vt sum-
mation dicam, eum qui superni agminis sit, Deum effi-
cere, ac supernam beatitudinem ei comparare. Porro
medici animarum, sunt Superiores, Patres spiri-
tuales, Confessarij; denique omnes Sacerdotes,

sive ex officio, sive ex charitate, salutem animarum
procurandam dediti. Hi omnes, animas aliorum
elevant debent, ad magnum in virtutibus pro-
fectum. De his Deus S. Catharina Senensis, sic
dixit: *Ministri mei fideles assumpserunt conditionem*
solis: sol quippe, calefacit, & illuminat, & calore suo ter-
ram germinare facit. Ita faciunt isti, dulces, electi mei
ministri, quos in corpore mystico S. Matris Ecclesia, col-
locauit, ad ministrandum corpus & sanguinem filij mei,
cum aliis Sacramentis, qua vitam habent ex virtute
sanguinis. Illustrant lumine scientia supernaturalis,
cum calore sancta vita, sequentes Iesu Christi, filij mei
doctrinam, calorem quoque ministrant ardentissima
charitatis, & cum calore suo charitatio, germinare
faciunt animas steriles.

164. Nonò, certissimum est, & fere omnium maxi-
mum, eximij in habitibus virtutum incremen-
ti, & profectus signum, totalis auulsio affectus
ab omnibus rebus mundanis, quæ sunt in amo-
ribus mundi sectatorum. Hinc, inquit Apollo-
nius Abbas (inter Sanctos relatus à Ruffino &
Palladio) scietis vos proficere in virtutibus, si nulla vo-
bis passio fuerit erga mundana desideria. Hoc est er-
ga res quas mundi sectatores expetunt & quaerunt:
vt sunt impuræ voluptates, diuitiæ, honores, amor
commoditatum corporis, & oblectationes sensuum,
ac fuga laborum, ac studium otiositatis. A quibus
auulsio affectum, comitatur amor & desiderium rerum,
iis contrarium: quæ sunt, carnis maceratio, exacta pauper-
tas, sui, & omnis existimationis bonæ apud alios,
ac famæ, & rerum honorificarum contemptus,
fuga recreationum & otij, & assiduitas la-
boriosarum, et si vilium (mundi iudicio) & non
speciosarum occupationum, ac ardens amor
crucis. Hos præclare, vt solet, describit S. Grego-
rius Papa. Hoc esse speciale specimen electorum
solet, quod sic sunt presentis vite iter carpere, vt per
spei certitudinem, nouerint iam se ad alta peruenisse,
quatenus cuncta qua præterstunt, sub se esse videant,
atque omne, quod in hoc mundo eminet, amore
æternitatis calcant. Hoc enim est, quod sequenti se
anima, Dominus per Prophetam dicit: Sustollam te
super altitudines terræ. Nam quasi quedam inferiora
terra, sunt damna, contumelia, egestas, abiectio,
qua, ipsi quoque amatores seculi, dum per lata
via planitiem ambulant, vitando, calcare non
cessant. Altitudines autem terræ, sunt, lucra
rerum, blandimenta subditorum, diuitiarum
abundantia, honor, & sublimitas dignitatum;
qua, quisquis adhuc per ima desideria incedit,
eo ipso alta estimat, quo magna putat. At si
semel, cor in caelestibus figitur, mox quàm
abiecta sint, cernitur, qua alta videbantur.
Nam sicut, qui montem conscendit, sed paulisper
cetera subiacentia despicit, quò ad altiora
gressum amplius tendit, ita qui in summis
intentionem figere nititur dum annis ipso,
nullam presentis vite gloriam esse deprehendit,
super terræ altitudines eleuatur: & quod prius
in imis desiderijs positus, super se credidit,
post, ASCENDENDO PROICIENS, sibi subesse
cognoscit.

Deci-

Coll. 3.
cap. 7.

Rom. 8.
38.

Coll. 11.
c. 7. & 8.

Tr. de
vit. foli-
an. sine.

163.

in Pa-
nag.

Coloff. 1.
28.

Orat. 5.

in dial.
c. 119.

164.

Ruff. 1. 2.
c. 7. Vit.
pp. Pall. in
hist.
Laut.
cap. 52.

1. 31. mor.
cap. 34.

165.

Coll. 12.
cap. 6.
I. 4. c. 17.
Coll. 1. c. 6.
& 7.
I. 12. c. 13.
15. 23.
In const.
Mon. c. 3.
Or. de
Laud.
Athar.

Decimum signum profectus in habitibus virtutum, quos appellans, cordis puritatem, assignat Abbas Cheremon, apud Cassianum: *Quantum, inquit, quis in lenitate ac patientia cordis, tantum in cordis puritate proficiet. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* per cordis autem puritatem apud Cassianum, vitæ perfectio, ex aggregatione omnium virtutum conflata intelligitur, pluribus in locis. Sed melius asserit S. Basilius. *Sedata, inquit, animi, & requieta constitutio, virtutis est argumentum certissimum.* Hinc S. Gregorius Nazianzenus, cum S. Athanasium laudasset, ob eius perfectionem, & vitæ fuisse sublimem dixisset, explicans, quid cum hac perfectionis eius sublimitate, ac eximio profectu in virtutibus, esset coniunctum, subdit: *Ea erat comitate, ut ad eum, omnibus aditus pateret, clemens, ab ira alienus, miseratione præditus, sermone iucundus, moribus iucundior, in obiurgando placidus &c.* Et S. Dionysius Areopagita: *Hebraeorum, inquit, tradit historia, Moysen eximia mansuetudinis merito, divinam amicitiam & familiaritatem dignatum, ac, si quando ipsum, divino aspectu excidisse commemorat, non id ei prius, quam à mansuetudine descenderit, contigisse describit.* Erat enim, inquit, mansuetus valde, atque ideo famulus Dei dicitur, digniorque Prophetis omnibus, cui Deus, visum suæ gratiam largiretur. Quando in S. Bernardo, & S. Carolo, nondum erat tantus in virtutibus profectus quantus ante mortem eorum enituit, erant in delinquentes, valde immites, & feroci, sed postquam sunt maturitatem sanctimonie assecuti, fuerunt mitissimi, & suavissimi. Sic & arborum bonarum immaturi fructus, duri sunt, & acerbi, maturati verò à sole, molles & suaves. Hinc S. Ignatius in sæculo biliosus & asper, postquam sanctus evasit, adeo erat mitis & lenis, ut ipsi medici putarent, eum nequaquam biliosum, sed phlegmaticum fuisse.

166.

I. 4. Eth.
cap. 8.
1. Tim. 1.
9.
Rom. 2.
14.
1. 2. q. 96.
2. 5. ad 1.
Rom. 2.
35.

Vndecimum signum profectus, est, si Dei servus, ita priuatum & nullo spectante, res ad Dei obsequium spectantes, accuratè, & seruentè, & integrè expedit, quomodo eas expedit, superiorem suo cuncta cerhentem. *Elegans, & ingenuus, inquit Aristoteles, quasi ipse lex sit, ita se geret.* Hoc sensu potest intelligi illud Apostoli: *Lex in isto non est posita.* Cur quia ut ille idem, de aliquibus ait, *Legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Dum, ut hunc locum explicat S. Thomas, ostendunt opus legis, scriptum in cordibus suis, sicut Apostolus dicit. *Vnde lex in illos non habet vim coactiuam, sicuti habet in iniustos.* Talem viuendi rationem exigebat Seneca à suo Lucilio. *Tunc felicem te esse iudicam, cum poteris in publico viuere, cum te parietes tui regent, non abscondent, quos plerumque circumdatos nobis iudicamus, non ut tutius viuamus, sed ut peccemus occultius.* Rem dicam, ex quâ mores astitim nostros, vix quemquam inuenies, qui possit aperto ostio viuere. Ianitores, conscientia nostra non superbia opposuit. Sic viuamus, ut deprehendi, sit subdò affici. Bona conscientia turbam

adqucat, mala, etiam in solitudine, anxia atque sollicita est.

Duodecimum signum magni profectus, est, si quis modis suprædictis, omnes temporis partes expendat, in actionibus meritorii vitæ æternæ, Qui tales sunt, non tantum seruiunt Deo, ut multi, sed soli Deo viuunt, ut pauci. Ut quis Deo seruiat, satis est, si per interualla, accuratè & perfectè exequatur ea, quæ præscripti Deus. Hoc enim satis est, etiam famulus Regum, qui non tenentur die at nocte, & quouis tempore Regi assistere. At qui Deo viuunt, quomodo nos è Societate viuere debemus, iuxta Regulam octauam Summarij, à S. P. Ignatio præscriptam, *Excedit die nocteque occupati esse debemus* (quantum patitur mortalis vitæ conditio) in rebus Deo acceptis, & purè ad eius obsequium ordinatis. Sicut enim vita hominis, semper sine vilo interuallo, habet operationes vitales, etiam dormiente homine, ita in spirituali vitâ, quam Deus suæ gratiæ donis animat, & ut ait Concilium Tridentinum, in quâ, *Christus Iesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos, iugiter virtutem infundit: quæ virtus bona eorum opera, semper antecedit, & comitatur & subsequitur.* vitæ spiritualis, serid profectui suo attendens, & studens cooperari gratiæ Dei, perpetuò bene operatur Dei beneficio, qui, (ut in Concilio Palæstino apud Diopolim, contra Pelagium dixit Orosius Cordubensis) *gratiæ suæ dona subministrat cunctis, & singulis, speciatim, quotidie, per tempora, per dies, per momenta, per atoma: sicut & è vitâ, per momenta omnia, vitales emanant actiones.* Aliud est viuere, inquit Aristoteles, aliud vita interesse, viuere, agere est, & desungi propriam quemque virtute. Non est itaque, ut scribit Seneca, quoddam quemquam, propter canos, aut rugas, putes diu vixisse: non enim ille diu vixit, sed diu fuit. Et alibi habet: *Quid illum octuaginta anni iuuant per inertiam exacti non vixit iste, sed in vitâ moratus est; nec mortuus est, sed diu. Acti vitam metiamur, non tempore.* Et hac ratione, SS. Patres illud Christi dictum, semper nos orare & non deficere volentis, nos implere interpretantur, dum semper benefaciendo, Deo semper & sine cessatione placemus, quod per intensos habitus, magnarum virtutum, Dei in nobis gratia operatur suis auxiliis.

Decimum tertium, profectus signum, diu in virtutum studio exercitatis, hoc statuit S. Teresa. *Vt, inquit, sciatis, verum profectum aliquem feceritis, hoc signum erit, si nimirum, vnaquaque vestrum, se omnium pestimam esse credat, & ex eius operibus, si quiddò colligi queat, eam se, ut ratem ducere, idè, ad aliorum profectum, & commodum. Hoc ipsum docuerat S. Macarius Abbas, S. Antonij discipulus. Quando maiorem proficiendi, ac crescendi diligentiam addibent, eò magis se existimant egenos, tamquam egentes, ac nihil possidentes. Hoc enim dicunt: Non sum dignus, ut sol iste mihi illucescat.*

Diti-

CAPVT DECIMVM.

De alijs signis propectus in virtutibus, iudicium Plutarchi.

PRÆter ea signa propectus, in superioribus capitibus, à me ex Plutarcho allata; optima sunt illa quoque signa, quæ, idem proponit, in libello hic sæpius citato, ad cognoscendum in virtute progressum.

Primum, si secundum oraculum datum Cirræis, quo dies noctesq; belligerare iubebantur, conscius tibi sis, dies te noctesq; contra vitia depugnare, aut saltem, non sæpe statione abire, neque continenter, velut iudicis facti, internuntios ab iis voluptates aliquas, aut oblationes, aut alia negotia accipere: non iniuriâ alacri, confidentiq; animo, ad reliqua perges: quin etiam, si feceris aliquas philosophandi intercapedines, ita tamen, vt posteriora tua studia, prioribus constantiora fuerint, ac prolixiora: iam non leue indicium prebet, ignauiam, esse labore, ac exercitatione elisam. Contra, malum est signum, si post exiguum tempus, multis & continentibus occasionibus, alacritas veluti elanguescens, retundatur. Post multa, ponit & alterum signum propectus.

Secundum, qui magis profecerunt, è spectaculis quoque, & rebus quibuscumque, norunt vilitatem capere, idq; colligere, quod istorum instituto commodè. Diogenes, è volâ quendam bibere conficatus, poculum è perâ proiecit, aded ad sentiendum & percipiendum ea, quæ vndeumque ad virtutem conducunt, attentio & exercitatio assidua facit idoneos, &c. Excelluit hac in re B. Franciscus Borgia, qui è singulis, quæ se obiciebant sensibus, pios eliciebat affectus, & apophtegmata, quibus plenus est vltimus liber vitæ eius. Sed maximè S. Antonius Abbas, teste S. Athanasio, ex omnibus, quibuscumque viuerebat, bonum exemplum ad imitationem elicere studebat. Et vt scribit Cassianus, dicebat, Monachum, l. 5. c. 4. spiritualia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam, debere vnâquamque virtutem ab alijs, qui eam familiarius possident, decerpere & in sui peccatoris vase, diligenter recondere. Quod ij assequuntur, qui ardenti propectus desiderio, gesta & modum viuendi Sanctorum considerant, per quem ad culmina virtutum ascendant. Hoc quoque modo Cicero ciues suos, ad virtutem instruens, iubet facere vt cogitent acerrimè, quibus gradibus in cælum ascendit Romulus, Numa, Africani, aliique viri, virtute illustres.

Tertium quoque signum propectus infra ponit tale: Eorum, qui peccant, insanabiles sunt, qui hostili animo affecti sunt, sciuntq; aduersus reprehenses ac castigatores; qui verò sustinent, admittuntq; disciplinam, mansuetiores sunt, id verò non vile propectus est indicium: si quis commissâ culpâ, reprehendentibus se offerat, vitium exponit, & malum detegit, neque gau-

des

169. Decimumquartum, propectus signum ponit S. Bernardus, in tractatu de passione Domini. Nondum, inquit, ad summitatem Ilij peruenerunt, qui linguam suam à multiplicitate verborum nesciunt sine nolunt refrenare. Tantoq; altius se quisque nouerit, in virtutum gradibus ascendisse, quantò minus humanis colloquijs delectatur: nisi forte eiusmodi hominum, in quibus ipse Deus loquitur, & per quos verbum Dei auditur. (vti fit in spiritalibus colloquijs, quæ instituantur cum Superioribus, Patribus spiritalibus ac Confessarijs.) Tales enim non audiuntur propter se, sed propter Deum, qui & habitat & loquitur in ipsis: & cum talibus loquendo, à nostrâ sepe, Domino cooperante, dubietatibus expeditur: à prauis abducimur, & in bono proposito confirmamur.

170. Decimumquintum, propectus signum est, acquisitum per magnam sui victoriam, passionum dominium, quibus quis antea valdè exagitabatur & vincebatur, Ideò S. N. Ignatius, vt scribit Io. Petrus Maffæius, suorum propectum, non tam ex continuatâ precatione, vel diuturno secessu, quam è solida virtutis officijs, ac præsertim ex mansuetudine atque animi equitate spectabat. Cùm è familiaribus nescio quis, fratrem præstanti religione collaudans, ad Ignatium cum admiratione dixisset: En hominem iugiter precationi vacantem: immò verò, mutata voce, En inquit Ignatius, hominem sibi met acriter imperantem. Denique licet præ precationis laude, præcelleret ipse, semper tamen, spiritum quem vocant mortificationis, spiritui speculationis antecellit. Nam vt in eloquentia studio, cùm ars & vsus ipse sit necessarius, longè plus tamen à sapientibus viris, vsui quam præceptioni tribuitur: sic in parandis virtutibus, cùm & commentatio & actio requirantur, multò plus tamen agendo & pugnando, quam speculando vel cogitando proficitur.

171. Hoc ipsum oculatus testis Petr. Ribadeneyra in vitâ S. Ignatij clariùs testatur: Quod quantum in Dei viâ, quisque profecisset, non fronte ac vultu, sed animo ac fructu meriebatur: neque ex facilitate & bonitate natura, sed ex contentione & sui ipsius victoriâ, virtutum momenta ponderabat: secernebatq; acutissimè, natura motus & gratia. Et cùm quendam adolescentem, acri ingenio, ac vehementi naturâ, Minister Romane Domus, me coram grauer accusaret apud Ignatium, & quasi minus quietum, morigerum ac tractabilem insectaretur: Ignatius non vulgi trutinâ, sed veritate & spiritalis prudentia statera rem astimans, respondit Ministro: Mitiùs quaso & blandius. Equidem istam ipsum, quem tu tam acriter reprehendendum putas, plus ego in Dei viâ, paucis mensibus profecisse arbitror, quam duos illos integro anno, Nominatus autem duos, omnium ex fratribus candidissimos, & lenitate quadam ingenij, ac morum suauitate maximè amabiles.

det latendo, contentusve est, si clam id ferat, sed consistetur, opemq; correctionis requirit.

174. Quartum signum, non iam profectus, sed maioris, perfectiorisq; habitus indicia, vult esse Pyrrhonis, & Bionis dicta. Hic suos familiares, tum demum, certos esse, de profectu iubebat, cum perinde audirent maledicta, ac salutationes. Pyrrhonem ferunt, cum nauigans, orta tempestate periclitaretur, porcellum ostendisse, qui effuso hordeo, hilariter vesceretur, ac dixisse sociis, talem affectum vacuitatem, doctrina ac sapientia studio, parandam esse ei, qui nullam obtingente re, perturbari vellet.

175. Quintum, Zeno, inquit, ex insomniis suis, unumquemque sentire posse suos profectus, dixit. Nimirum, si neque turpi aliqua re, se per quietem, sibi videatur delectari, neque in honestum, aut iniustum, vel agere quidquam, vel approbare, sed velut in serenitate profundissima, & omnis fluctus experte, vis anima imaginans, affectionibusq; obnoxia, pelluceat, a recta ratione illustrata.

176. Sextum, Ex eodem, signum profectus addi potest. Si que laudamus, iam imitari conamur, promptius, si quis agere ea, que admiramur: que autem viuperamus, nolimus admittere. Quod ille fufius declarat.

177. Septimum est affine priori. Si bonorum virorum memoria, & consideratio celeriter adhibita, in omnibus motibus animi, aut difficultatibus oblatis, proficientes in studio virtutis, integros conseruat, atque erectos, hoc quoque indicium est profectus. Ad hoc caput, spectat imitatio sanctorum, vt enim scripsit S. Gregorius Nazianzenus, Prudentis & cordati viri est, magna mensura vitam suam metiri, atque ad excellentium virorum, sese imitationem componere. Præstat enim secundas inter homines magnos, & locupletes ferre, quam primas, inter pauperes & abiectos. Sicut maioris virique gloriæ est, paululum infra aequilam, quam supra humiles alaudas volitare.

178. Octauum, si quis suarum omnium actionum, spectatores nullos metuat, sed optet, sicut è contra qui se ipsos neglexerunt, ac corruerunt, suos ne in somniis quidem sine tremore & metu vident.

179. His addo, cum, vt ait Aristoteles, tria probos efficiant, natura, consuetudo, & ratio: profectus in probitate cognoscetur, qui examinauerit, an hæc tria nunc melius procedant, quam antea. Vt autem procedant bene, debemus, vt monet Theodorus Abbas apud Cassianum: Ad virtutum studia, irremissa cura ac sollicitudine, nos metipsos semper extendere: ipsiq; nos iugiter exercitiis occupare: ne cessante profectu, confestim diminutio subsequatur. Vt enim diximus, in vno, mens, eodemq; statu, manere non prauales, id est, vt nec augmenta virtutum capiat, nec detrimenta sustineat. Non acquisuisse enim, minuisse est: quia desinens efficiendi appetitus, non aberit à periculo recidendi. Porro, an cum assiduo in virtutibus eximius profectu, possit coniungi desiderium, sanctitatis & gloriæ Christi, ac B. Virginis sanctitati ac gloriæ, proximæ, fusè ostendi, posse in Opusculo de humilitatis gradibus.

Ceterum notandum est tyronibus, aliter nos proficere in virtutibus moralibus, aliter in infusis. Hæc enim dum crescunt in iustis, vel per susceptionem aut collationem Sacramentorum, vel extra Sacramenta, per frequentationem actuum supernaturalium, omnes æqualiter crescunt, in eâ mensurâ, in quâ crescit ipsa gratia sanctificans, quam alia virtutes & dona habitualia Spiritus sancti comitantur: vt docent communiter meliores Theologi. Et non producantur ab actibus virtutum, (vti producantur & augentur habitus acquisiti, virtutum moralium) sed quia supernaturales sunt, à Deo solo per se infunduntur. Quando autem crescunt in nobis virtutes morales, vt sunt, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia, & alia, non crescunt æqualiter, sed per actus temperantiæ, solius habitus temperantiæ acquiritur augmentum, non verò iustitiæ, aut aliarum virtutum moralium acquisitarum. Hinc fit, vt vnus excellat virtute temperantiæ, vel liberalitatis, non virtute iustitiæ, contra quam, multi liberales peccant: vti quotidiana experientia, & exempla docent, & Philosophi Morales tradunt, cum S. Augustino. Et hæc est causa, (vti bene obseruauit S. Thomas, & serui Dei experiuntur) quod multi iusti, habentes charitatem supernaturalem, & simul cum eâ infusas etiam virtutes morales, difficultatem patiantur in operibus virtutum: nec sentiant omnes illam facilitatem & delectationem, in bene operando, quæ est signum acquisiti habitus, vt ait Aristoteles. Hæc enim difficultas, non oritur ex defectu virtutum, quæ verè sunt in iusto: sed ex dispositionibus contrariis, relictis à præcedentibus actibus vitiosis; quæ tamen contrariæ dispositiones, minuuntur & tolluntur per exercitium actuum, per quos virtutes morales acquiruntur. Quando ergo S. Augustinus, & S. Gregorius, videntur contrarium asserere, piè explicandi sunt, non quod crescente vnâ virtute, crescant formaliter, & æqualiter alia, sed quod, ob connexionem, quam habent inter se virtutes omnes, ex Patrum, & Theologorum sententiâ (quod tamen variè explicant Theologi) vna virtus, vt ait S. Bernardus, pendet ab alterâ: & vt dicit Aristoteles: Inuicem se coadiuuant, comitantur prudentiam, ac proinde, dum vna crescit, per incrementum eius, crescit dispositio, ad melius vtendum aliis virtutibus, illi connexis, connexionem non essentiali, sed adminiculatiuâ, & dispositiuâ, vt ostendit noster P. Theophilus Raynaudus.

CAPVT VNDECIMVM.

De rarioribus signis, magni in virtutibus profectus.

181. **S**igna & gradus profectus in virtutibus, communis omnibus, indicaui ex meâ & aliorum sententiâ. Adnectam hoc capite rariora indicia, magni profectus, quæ feruentioribus Dei seruis, vel post longam multorum annorum vitæ integritatem vel post breuem, sed heroicis actibus commendatam Deus solet largiri. Talia signa sunt, in primis illa, quæ in Opusculo, de fidelium Dei seruatorum priuilegiis explicauit: præsertim rarus, in peccata venialia lapsus; maximus horror peccatorum, & conatus, minimas etiam imperfectiones vitandi, coniunctus cum eorum fugâ: perpetuus feruor in ordinariis operibus diligentissimè peragendis: exacta patientia in aduersitatibus, carens etiam primis moribus, iræ vel indignationis, aut auersionis ab authoribus, & cooperantibus aduersitatum magnarum, & toleratu difficilium: tantus amor crucis, & omnium humiliationum, ac aduersitatum, & iniuriarum personalium, vt, dum vel reipsâ ingruunt, vel tanquam præterita aut futura, representantur memoria, statim sine repugnantiâ, exurgat (Dei beneficio) ardens desiderium, & amor earum: & gaudium de iis, ad eum modum, quo in imperfectis solent exurgere primi motus erga objecta praua, ad primam eorum representationem, vel soli menti, vel etiam sensibus factam: assiduam studium proficiendi in virtutibus, & quædam insatiabilis esuries, licetque iustitiae: repentinum, & notabile incrementum spei, dum exurgunt aduersitates & magnæ difficultates: oratio carens distractionibus: deuotio, longè quàm antea feruentior, tempore aduersitatum, & persecutionum personalium: gaudium in humiliationibus, coniunctum cum constanti & feruidâ perseverantiâ in bene ceptis: sensibilis tristitia, etiam in parte inferiore, dum audiuntur, vel videntur graues Dei offensæ: pax animi tranquillitas tanta, imò maior, in tribulationibus, & persecutionibus, quanta erat tempore consolationum: auersio ab oblectationibus, etiam licitis sensuum, ex sancto sui odio, & contemptu plenatio rerum mundanarum, & ex studio mortificationis profecta: maior inclinatio ad tractandum cum perfectioribus, quàm cum minus perfectis; maior propensio ad spiritalia colloquia, quàm ad profana, etsi non mala: maior gustus, in legendis libris spiritalibus, quàm prophanis historiis, etsi non fecdis: animi parata dispositio, ad quæuis faciendâ, vel fugiendâ, iuxta superiorum arbitrium, sine vllâ exceptione: ardens desiderium humiliationum, præsertim

calumniarum tolerandarum, & depressio-
num, ac degradationum: amor tener eorum, à
quibus aliquid valde iniuriosum pati contigit:
fuga commoditatum corporis, coniuncta cum
feruido desiderio incommodorum: tentatio-
num carnis extinctio, vel notabilis in floridâ &
viuidâ ætate, diminutio, etiam in occasionibus
non quæsitis: desiderium diu orandi insatiabile:
in repentinis casibus aduersis, mens etiam in-
uoluntariè, imperturbata: extinctio totalis, tepiditatis, & negligentiarum, in operibus ad Dei
cultum spectantibus: plena extirpatio, omnium
humanorum respectuum, coniuncta cum liber-
tate spiritus, exerente se, tum ad faciendâ ea,
quæ imperfectis displicent, & Deo placent, tum
ad omittendâ illa, quæ mali seij vel imperfe-
cti, nolent omitti: dominium passionum, præ-
sertim, iræ, timoris, & amoris: aut nullus, aut
longè minor quàm antea: pudoris & confusio-
nis sensus, in publicis humiliationibus: mentis
affectuosa vnio cum Deo, immediatè exsur-
gens, post quamvis actionem, naturâ suâ distra-
ctam, vt & post somnum, quauis vice inter-
ruptum: actualis & feruens deuotio, seu piorum
affectuum intensorum, affectuosus comitatus,
in laboribus manuum: firmitas voluntatis in
odio mali, & amore boni, durans in occasio-
nibus grauium lapsum, contra voluntatem obla-
tis, & perseverans semper, etiam in locis ac oc-
cupationibus, nil humanum habentibus, quod
à grauibis lapsibus posset retrahere. Quæ om-
nia, & plura alia, Domino adiuuante explicabo
in Opusculo, de gradibus, & ornamentis virtu-
tum.

Hæc sunt certissima signa, magni in virtuti-
bus profectus, non tantum omnia simul sum-
pra, sed singula per se. Nec enim dari solent, nisi
post magnum progressum in multis virtutibus,
quæ cum concatenatæ sint, vt docent SS. Pa-
tres, & eos secutus S. Thomas, per signa supra-
dicta, tanquam per proprietates qualdam, ex es-
sentiâ virtutum, in alto & heroico gradu ac-
quisitarum, enascuntur, & in imperfectis ac te-
pidis, teste experientiâ, non reperiuntur, sed po-
tius illis contraria.

Porro tyrones in Dei obsequio, præsertim re-
ligiosum statum amplexi, inter certa signa sui
profectus, reponant hæc octo. 1. Si indies illis
magis ac magis placet, status religiosus, ad quæ
vocati sunt. 2. Si diminutus sit affectus erga cõ-
sanguineos. 3. Si minus sentiant humiliationes. 4.
si magis afficiantur ad orationem, quàm antea.
5. si optent pati aduersa, præsertim bonam ex-
stimationem, & famam lædentia. 6. si minuatur
in illis numerus peccatorum. 7. si creuerit affe-
ctus, ad omnes res Ordinis: cum non omnibus,
quibus placet Ordo, res eius omnes placeant. 8.
si diligentius obeat opera ordinaria, quàm an-
tea. Atque hæc sufficiant ad cognoscendum
profectum communem omnibus, Nunc viden-
dum

Y y

dum

dum est, quibus in rebus sitis sit profectus proprius Patrum, qui in tertio probationis anno versantur, in nostrâ Societate. Quorum tamen capitum lectio, aliis quoque extra Societatem, utilis sine dubio erit: illarum enim virtutum explicationem, & commendationem continebunt, quæ etiam in seculari statu viventibus, omnino, suo modo, & gradu, necessariae sunt, si perfecte Deo in suo statu servire velint.

CAPVT DVODECIMVM.

De primo gradu profectus spiritualis, Patrum tertij anni & eiusvis religiosi, ac vite spiritualis studiosi: sito in profectu in humilitate.

183. **P**roprium profectum Patrum tertij anni, in Societate nostrâ, puto non posse melius dignosci, quam ex illis occupationibus, quas S.P.N. Ignatius, & Societas, in Ordinationibus, iis assignat: scilicet, profectum in humilitate, & abnegationem vniuersi amoris sensualis, voluntatis, & iudicij proprii, & maiore cognitione, & amore Dei. Et quoniam multa essent dicenda, si omnia memorare vellem quæ ad hæc sex capita pertinent, ego tantum vnâ rem in singulis attingam, quæ sat bonum erit iudicium, boni profectus.

184. **P**rimò quoad humilitatem. Animi in virtute progressus, inquit S. Basilus, in humilitate progressus est. Et S. Dorotheus: Quem admodum virtus omnis, ex humilitate gignitur, & cum humilitate producit. & exercetur, ita virtutum omnium absoluta perfectio, humilitate completur, siquidem omnium sanctorum profectus, atque perfectio, accessus quidam est, & progressus ad humilitatem. In tertio anno, primò, allueuerit, neminem iudicare & censurare, & sua tantummodò mala, & non alterius considerare. Hoc enim modo humilitatem acquiri, docebat quidam laudatus senex in Vitis Patrum apud Ruffinum.

185. **S**ecundò, signum certum, profectus in illâ, est, si quis, ex tertio anno discedat, eum stabili resolutione, non curandi ea, quæ eum deinceps humiliare, & contemptibilem reddere possent, coram aliis: Quod contingit, dum non promouetur quis ad officia speciosa, & ad gradus honorificos, ad quos alios videt promoueri, non magis suo iudicio dignos. Vno verbo, cum quis in tertio anno acquirat primam literam Alphabeti spiritualis, quod proponit S. Bonauentura: *Ama nesciri, & pro nihilo reputari.* Alioquin ait S. Bernardus, non bonus est color, si quisquam sanctorum, anxie suam abiectionem ferre videatur: de quo etiam & non gaudere, & non gloriari, minus est à perfecto. Porro in proposito perfectionis, (quæ in tertio anno abundantius queritur) apparere

imperfectum, nequus est. *Humilis enim, vt ait idem S. Bernardus, est contemptus propriae excellentie.* Et vt S. Basilus scribit: *Humilitatis exercitatio in rebus contemptibilibus exercitatio est.* Sicut superbia à S. Augustino definitur: *Amor propriae excellentie.* Vnde Gen ad. *Humilitatis exercitatio est, & in conspectu vltimum: inquit Cassianus, & S. Bernardus libro de Ordine vite.* Hinc vt scribit Ferdinandus de Castiglio, cum S. Thomas Aquinas interrogatus esset, quod signum esset profectus alicuius in vitâ spirituali: respondit: *Qui delectatur risu & dissolutione, qui appetit honores, qui agit fert vitem de se hominum opinionem, talis, etiam si miracula faceret, non est profectus.* Quin & Plutarchus libro citato, ad indagandum profectum in virtutibus, examinare iubet. *An gloria cupiditate careamus: an amulemur citra inuidentiam.* Et S. Ignatius, de duobus ex desiderio contemptus & opprobrij, ait: *nasci humilitatem.* Hac virtute humilitatis, quia ornata fuit S. Paula, de eâ S. Hieronymus ad Eustochium Ep. 27. eius filiam scribens ait: *Tantâ se humilitate deiecit, vt qui eam vidisset, ipsam esse non crederet, sed ancillarum vltimam.* Et B. Iustinianus, inter indicia 1. 4. c. 39. humilitatis, ponit hæc: *si quis omni vilitate contentus sit, & ad omnia que sibi præbentur, se velut operarium malum iudicari indignum.*

Hanc primo loco, S. P. Ignatius, & Societas 186. Patribus tertij anni commendauit, tum ob causas, à me in Opusculo de gradibus humilitatis 187. allatas, tum quia vt ait Cassianus, *de humilitate, mortificatio voluntatis, (de qua postea agetur) generatur: tum quia, vt idem ait, Non potest quisquam perfectionis finem ac puritatem attingere, nisi per humilitatem veram, quam primitus fratribus reddens, Deo quoque in penetrabilibus cordis exhibeat.* Tum quia vt ait S. Bernardus: *summa virtus Monachi, humilitas est, summum vitium eius, superbia.* Et ob defectus humilitatis, quos ibi enumerat, fieri, quod ex horum multitudine, qui seculum deserunt, rari valde inueniantur, qui mortificatus vitiis, ascendere contendant, ad perfectionem virtutum.

Ad humilitatis autem studium ardens: primò 187. excitare nos debet, magnum præmium in cælo à Christo promissum. *Qui se humiliat exaltabitur.* O si id penetraremus, quam dulcis nobis esset omnis noster contemptus. *Dic oro, inquit S. Chrysostomus, si quis te ad regnum terrestre, & imperium vocaret, atque ante ingressum eius ciuitatis, in quâ coronandus esses, in stabulum diuertere esset necesse, vbi luti plurimum ac fimi, viatorumque, tumultus, ac latronum perturbatio, summa pressura, & angustia, num ad illa tristitia cogitatione conuertereris an non illa omnia quasi nihil essent, gaudium & spe regni, contemneres?* Perquam igitur ineptum, & indignum est, terrenis, mortalibusque, rebus positurum, nihil his qua interim inciderint, contrahi, æterni autem regni elatum, atque erectum, & ad cælos accersitum, per singula qua in diuersorio acciderint tristitia, decidere, atque perturbari?

Secundò, Christi exemplum, dulce reddit studium, 188.

Philipp. dium, & occasiones humilitatis. Exinaniuit & humiliavit semetipsum &c. Pondera verba B. Virgo, quemdam armans, sic allocuta est, coram S. Brigitta: Fili adhuc desicit clypeus vobis. Itaque ad clypeum duo pertinent, scilicet, fortitudo & signum Domini, sub quo militat. Ergo clypeus significat considerationem amara passionis Dei, qua debet esse in sinistro brachio iuxta cor, ut quoties delectat animum voluptas carnis, considerentur lraues Domini: quoties vero pungit & contristat animum despectio, & aduersitas mundi, rememorentur paupertas & opprobria Christi: quoties vero delectat honor, & longa vita carnis, recogitetur amara mors, & passio Christi. Hoc fuit in illa sanctissima Virgine, habitata pro stultia, in Monasterio Virginum Tabennio-tarum de qua Palladius scribit: sic: In quodam monasterio fuit Virgo, que propter Christum simula-bat stultitiam. Et se emota esse mentis praefrens, per hac virtutem optime exercuit, se in ea praeclare gerens, seque reddens abiectam, & humilem. Hanc vsque adde reliqua sunt aspernata, ut nec cum ea quidem vesce-rentur, id illa excipiente cum latrat. Discurrens itaque in culinam, exhibebat alii omne genus ministerij, ad-ed vi nec horum quidem vnam intermitteret, sed tan-quam ancilla seruiret: eratq; haec beata, ut dicitur, sponsa monasterij. Re vera implens, quod scriptum est in Evangelio: Qui vult inter vos esse magnus, sit om-nium seruus & minister. Et rursus alibi: Si quis inter vos videtur esse sapiens in hoc saeculo, sit stultus, ut fiat sapiens. Atque aliarum quidem Virginum, erat hu-iusmodi habitus, ut essent tonsae, & haberent cucullos in capite, illa vero, panno caput obuoluta; obibat earum ministerium, eam nulla ex trecentis vidit mandentem omnibus annis vita suae. In mensa namquam sedie, ne-que unquam fragmentum panis comedit, sed micas mensarum spongia colligens, & ollas lauans; huius erat contenta. Neque vero ea vnquam induit calceos, nec aliquem affectu contumeliae, non murmurauit, non paruum, non magnum, quid locuta est, esse contumelia afficeretur, & pugnis tunderetur, & maledictis appe-teretur, & plurimi eam abominarentur. De hac San-cta Sancto Pityrum Anachoreta, viro probatissimo in virtute exercitationis, asilicet reuelans Angelus, qui ei dixit: Cur tibi places, & te magnifice circumspicis, ob ea, qua a te recte, & ex virtute geruntur, ut qui sis pius, & religiosus, & sedes in hoc loco: vsu videre mu-lierem, te magis piam, & religiosam: abi in Monasto-rium seminarum Tabennio-tarum; & inuenies illic vnam, qua habet diadema in capite (hoc est caput cinctum tela aliqua, instar diadematis, quo olim Reges Ethnici utebantur, non vero te-ctum cucullo, ut supra dictum, quo honoratae Virgines utebantur, & caput tegebant, ista ve-ro tanquam hoc honore indigna, illo carebat, sed simpliciter obuoluebat caput linreo aliquo, tanquam abiecta & vilis) ea te est melior, que cum tanta turba decertans, & omnibus indiscriminatim seruens, cor nunquam abduxit a Deo, etsi ab omni-bus superbe contemneretur. Tu autem, etsi hic sedes, per vrbes tamen vagaris cogitatione, qui orbem ha-

bitabilem, numquam calcasti pedibus. Surgens autem Magnus Pityrum, venit vsque ad Monasterium Ta-bennio-tarum, & rogat Magistros, ut liceat illi tran-sire, vsque ad Monasterium seminarum: Vt qui ergo esset inter Patres, magna existimationis, & cum se-misset in exercitatione, bono & confidenti animo, transmissio flumio, cum introduxerunt. Cum autem orasset petiit Magnus Pityrum, ut Virgines omnes co-ram se ex facie videret: Cum omnes ergo ad medium accessissent, illa non apparuit. Tandem eis dixit, S. Pity-rum: Cunctas ad me adducite. Cuius autem dicerent, adsumus omnes, dixit eis, deest vna, quam ostendit mihi Angelus. Ee vero dixerunt, vnam habemus salem, qua est in culina (sic enim vocant illic eas, qua non sunt sa-lis mentis) dicit illi Magnus, illam quoque adducite, sine vi illam videam. Inuenit itaque ad illam vocan-dam, illa vero nequaquam obediit, ut quae rem senti-ret, nam illi quoque forte fuerat reuelatum. Eam ergo vi irabunt, ipsi dicentes, S. Pityrum vult te videre: erat enim in magni nominis. Ea ergo adducta, vidit Ma-gnus eius faciem, & pannum in capite & fronte eius, (sicut apud Septemtrionales, ancillae rusticanae solent tegere capita) & cadens ad pedes eius dixit: Benedic Amma, cadens autem ad pedes eius, ipsa quo-que dicebat: Tu mihi benedic Domine mi. Cum autem hoc cuncta vidissent, obstupuerunt, & ei dixerunt: Ne tibi fiat probrum ac viceperium, est enim sale. Eis di-xit, S. Pityrum: Vos estis sale: haec enim, & me & vobis melior est Anima: (sic enim vocant matres spiritua-les) & quae, ut ea dignus inueniat in hora iudicij. Ea autem cum audissent, ceciderunt ad eius pedes sten-tes, & confitentes omnes; quiddam beatam diuersis modis afficerent contumelia. Alia quidem dicens, ego hanc semper subsannabam; alia, ego eius humilem habitum iridebam; & alia, ego eam tacentem, afficiebam con-tumelia: alia quidem dicens, ego quadam eluuiem saepe in eam effudi: alia, ego illi plagas infixi: alia rursus, ego sum, qua ei pugnos inieci: alia rursus, ego sinapi nares eius inieci: & vi semel dicam, significabant omnes, se eam variis afficisse contumeliis. Cum ha-rum ergo confessionem exceperit S. Pityrum, & pro ea simul cum ipsa orasset, & diu esset consolatus vene-randam Dei seruam, sic exiit. Paucis autem post diebus cum ab omnibus valde honoraretur, & obseruaretur, non serens Beata gloriam, & honorem quo afficieba-tur ab omni fraternitate, & excusationes, omnes esse ar-bitrans; clam exiit ex Monasterio, & quoniam iuerit, aut quem locum subierit, aut vbi obierit, nemo co-gnouit in hodiernum diem. Hac Palladius de hac incognita Sancta, cui nomen erat Isidora, ut ait nolter Raderus: Imitemur ergo sapienter stul-tiam, qua Christum exemplo, qui se nostri causa exinaniuit, & humiliavit, magis quam vllus Sanctorum facere potuerit, nos quoque pro Christi amore, & imitatione, fugiamus, loca of-ficia, gradus speciosos, & honorificos, ac opte-tus, & laetetur, stulti haberi indocti, imperfe-cti, ignobiles, rudes, ad nihil apti, inepti ad om-nia, & existimari ad tractari cum Apostolo, tan-quam omnium peripsema. Hac ratione erimus veri

Y y 2

1. Cor. 4. 13.

veri discipuli, & imitatores Christi, in humilitate.

489. Tertio moneat exemplum Ethnicorum, qui heroice tolerauerunt degradationes, contemptum, iniurias, & ea quae vere humiles tolerare solent. Cum Dionysius Tyrannus regno pulsus interrogaretur, quid illi Plato, & Philosophiae studium profuisset respondit: Vt tantae fortunae mutationem a quo animo feram, Et Diogenes, percontanti cuidam, quid lucri ex Philosophia caperet: vt nihil, inquit, aliud, certe hoc, vt ad omnem fortunam sim paratus. De adolescente vero quodam scribit Elianus: Cum Zenonis scholam, litterarum causa frequentasset longo tempore, reuersus a patre interrogatus, quidnam sapientia didicisset dixit se ostensurum. Pater indignatus, verbera illi inflixit, at ille modesto patienterq; serens: hoc inquit ipsum didici, vt iram patris moderatè seram. Si ergo schola Ethnicorum, tantoperè Ethnicis profuit: quid in scholâ affectus PP. tertij anni, in qua Spiritus sanctus docet intus, Christus exemplis suis instruit: si tanti ibi fuit vitium, vt loquitur S. Hieronymus, quanti pretiosissimum margaritarum nobis esse debet?

190. Quarto moneat, quia ei contraria superbia, vt ait S. Gregorius, est radix omnium vitiorum, & vniuersae virtutis extinctioni non est contenta: contra cuncta membra anima se erigit, & quasi generalis ac pessifer morbus, anime corpus corrumpit. Ideo qui omnes virtutes consequi, & conseruare cupit, per humilitatis studium, hoc vitium extirpare contendat. Quomodo autem habeat quamdam infirmitatem superbia in omnia peccata, docet S. Thomas, & S. Gregorij dictum explicat. Vnde mirum non est, superbiae solam, habere Deum aduersarium, & specialiter contrarium, non sic alia vitia; vt ait Cassianus. Quantum, inquit, est malum superbiae, vt non Angelum, non alias virtutes sibi contrarias, sed ipsum Deum aduersarium habere mereatur? Notandum siquidem est, quod nequaquam dixerit, super his, qui ceteris vitiis sunt inuoluti, quod habeant sibi Deum resistentem, id est, Deus Gastrimargis, fornicariis, iracundis, seu philargyris aduersatur, sed solis superbis. Illa namque vitia, vel in vnumquemque delinquentium, tantummodo retorquentur, vel in suos participes, id est, in alios homines, videntur admitti, haec vero propriè pertingit ad Deum: & idcirco, tam specialiter digna est habere contrarium. Quod sane motiuum, adeo est efficax, vt S. Basilius, cum interrogatus esset, quomodo possit sanari superbus, responderit: si fidem habuerit sententia illius, qui dixit: Dominus superbus resistit. Magna enim est res, infinitam omnipotentiam, sibi habere resistentem. Vnde S. Ambrosius, hunc ipsum Scripturae locum ponderans, ait: Dominus, tanquam suae contumeliae propulsator, veluti quoddam susceptus aduersus superbiae, speciale certamen: tanquam dicat: meus iste aduersarius est, qui me laesit: mihi debetur ista congressio. Tanti autem aduersarij congressionem, & veluti singulare certamen, quis non metuat?

z. i. q. 162. a. 3.

Lit. c. 7.

Iac. 4. 6.

1. Pet. 5. 5.

6. 27. reg. breu.

In Ps. 113.

Vide frater, inquit S. Hieronymus, quale malum sit, qui aduersarium habet Deum: hinc arrogans Pharisaeus spernitur, & humilis Publicanus auditur. Sed ceteris efficacius, hoc ponderat S. Ildorus Pelusiotâ: Superbis, inquit, Deus resistit quandoquidem etiam ipsorum Principi, ab initio sese opposuit. Considera igitur, quantum est, & Deum hostem, atque aduersarium habere, & veterem hostem socium. Studentum ergo est profectum in humilitate, ne & per superbiam hostem habeamus Deum, & vt per humilitatem, Dei assequamur gratiam, qui, & exaltat humiles, & humilibus dat gratiam.

CAPVT DECIMUMTERTIUM.

De secundo gradu spiritualis profectus eorumdem, exposcente abnegationem omnis amoris sensualis.

Secundus gradus exigit abnegationem omnis amoris sensualis.

Quid per amorem sensualem, S. Ignatius intellexit, explicauit in Opusculo de Abnegatione, nunc ne ibi fusè dicta repetam: Dico, signum profectus in abnegatione amoris sensualis esse, si quis sanus, nullas commoditates expetat, omnibus non communes, in cibo & potu, in vestitu, in habitationis loco, & cubiculo, & in laboribus, imò contraria quaeratur. Quòd si vel infirmus sit, vel debilis, vel conualescens, vel valde extraordinario labore fatigatus, vel senio depressus, is contentus sit, quoad supradicta, quae illi, vel à superioribus, vel ab alijs rei domesticæ administris, dabuntur: nec de villâ te sibi molestâ, conqueatur. Duos esse oculos amoris proprij, dicebat B.M. Magdalena de Pazzis: alterum, propriam reputationem: alterum, proprium commodum: qui si eruantur, amorem proprium timentum non esse. Hoc exigebat S. Macarius ab omnibus Christianis, vt si inciderent in res quoad hanc vitam prestantes, quae pelliciant illos ad voluptatem carnis, aut ad diuitias, ad gloriam, aut ad delicias, non debeant ob hoc letari, sed ab his cauere, tanquam ab igne. Quid quæso tantoperè adornas (scilicet corpus) inquit S. Basilius: fouesq; quod paulò post est interiturum? Quid te ipsum saginas & carnis graua? An ignoras, quando pinguis tuum tibi corpus, tantò grauiorem animae tuae carcerem constituit? Si ergo etiam saeculares, virtutis studiosi, ab his abhorretere debent, quanto magis Religiosi? quos S. Ioannes Climacus appellat, perpetuam naturâ violentiam. Ideo enim mundum reliquerunt, ne quid mundani, in secessu religioso quaerant. Nam vt dixit S. Barlaam, S. Iosaphato: In hoc secessu à mundo consistit, vt prater earum rerum, quae naturâ sublimiores sunt, cupiditatem, voluntarium suis ipsius odium, quispiam concipiat, ac naturam abiuret. Qui autem abiurat aliquid, id maxime horret ac fugit, nullâ ratio-

191.

4. par. vit. cap. 14.

Hom. 19.

in Ps. 113.

S. Doro. in eod. vit.

in eod. vit.

ratio.

192.
h. 31. ad
pop.

ratione querit, nec queritur sibi negari. Hoc ipsum exigit & studium virtutis, cui viri spirituales se dederunt. Virtus enim, vt ait S. Chryso-
stomus, hominem quasi mortuum, ad huius vitæ res efficit, &c. Agnouerunt hoc etiam Ethnici. Plu-
tarchus loco citato: Profectum in virtute hinc etiam cognosci posse putat: An simus duriores in

1. 2. Eth.
cap. 9.

vitæ ratione, an molliores. Et Aristoteles, ei qui vitium vult fugere, dat hoc monitum, vt in omnibus, quidquid incundum est, ipsamq; adeo voluptatem, summo studio, & contentione deuitet. Nam eius, inquit, non incorrupti iudices sumus. Cur? quia vt

1. 2. Eth.
cap. 2.

idem dicit, est inserta penitus in naturâ, & cum illâ, à primâ pueritiâ educati sumus. Et tanto magis nocet nobis, hic amor sensualis, innatus nobis, dum spe vitæ conferuandæ se exerit. Vna,

Epi. 26.

inquit, Seneca, est catena, quâ nos alligatos tenet, vitæ amor. Sed plerumque non vitæ amor, sed sensus, & gustus voluptatis, nos trahit, vt sensuum oblectamenta non necessaria, sæpe noxia, presensimus. Delicatus es Christiane, ait Tertullianus, si &

de Spect.
cap. 8.

in seculo, voluptatem concupiscis, imò nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. Quod quomodo fieri debeat, docet S. Hieronymus, scribens ad Rufficum Monachum. Non facias quod vis, comedas

Epist. 4.

quod iuberis, vestire quod acceperis, operis tui pensum persoluas, lassus ad stratum venias, ambulansq; dormias, & necdum expleto somno, surgere compellaris. Perstringit commoditatem studiosos, idem S. Hieronymus. Nunc, inquit, perosque videas, arma-

Ep. 22. ad
Eustoch.
de cult.
virg.

ria stipare vestibus, tunicas mutare quotidie, & tamen lineas non posse superare, quæ religioſior fuerit, vnum exterius vestimentum. Commendat hanc abnegationem S. Chrysoſtomus, in primis exemplo Patriarchæ Iacob dormientis in suppositis capiti lapidibus. Vidisti, inquit, ineffabilem vitæ Philoſophiam. Vidisti quomodo veteres iter faciebant. Vir domi educatus, tantæq; assuetus cura, simplex enim erat, inquit Scriptura, & domi habitans, peregrinaturus, neque iumentis egebat, neque ministris neque viaticis: sed Apostolicum morem imitatus, iter facit, & cum occumberet sol, ibi dormiuit vbi cum nox comprehendit.

h. 54. in
Gen.

Et infra: Accepit, inquit, lapides & posuit subter caput suum. Vide pueri robur: lapidibus pro puluinaribus super pauimentum dormiuit. Igitur quoniam bene moratum animum habebat, & masculum spiritum, & ab omni vanitate liberum, admirabilem illam visionem meruit. Et infra.

Gen. 18.
11.

Vides hic quoddam somnia sancta eorum sunt, qui corpora sua negligunt: paruo victu nutriunt, ad delicias non assuefaciunt: molliora strata non subiiciunt: profundo somno non obruuntur.

Deinde alio in loco abnegationem amoris sensualis suadens, vtitur Christi exemplo, ponderans Christum sedentem, super puteum solum, fatigatum, famelicum. Venit, inquit, in Samariam, mollem & lasciuam vitam expellens, laboriosam autem, & difficilem erudiens. Non enim iumento vsus est, sed adeo intentè vadit, vt ex itinere satigaretur. Hoc semper admonet, vt sibi ipsi, quisque seruiat, neque

hom. 30.
in Ioan.

querat superflua, neque multis indigeat. Adde enim omni nos superfluitate alienos esse voluit, vt multis necessarium se fraudaret. Idcirco dicebat: Vulpes foveas habent, & volucres cali nidus, Filius autem hominis, non habet vbi caput reclinet. Propterea plurimum in montibus versatus est, & in desertis, non per diu tantum, sed & pernox. Hoc David annuntians inquit: De torrente in viâ bibet, vt eius tolerantiam demonstraret. Et infra, ponderans, quoddam discipuli, eo relicto, iuissent emptum cibos. Considera hoc in loco, nihil ferentes discipulos, neque à principio dici, vllam curam victus habentes, sed quo tempore omnes pranderent, cibos emptum proficiscuntur: sedebat sic supra fontem, non in sella, non in loco honoratiore, sed in terrâ, vt coningit.

S. P. N. Ignatius hac in re fuit illustris, nam vt de eo scribitur, cubiculo vsus est parangusto ac tenebricoso, cibi potusq; fuit adeo parcus, vt gustatum penitus perdidisse videretur, nisi quando pauculis vesceretur castaneis, quibus patrio more puer assueuerat (qui cibus in Italiâ pauperum, & mendicorum est) nulli vnquam ferculo, quamuis famelicus, ac ieiunus arrisit, nullum edulij vel condimenti genus, vnquam indixit, nihil vnquam inter edendum est questus, licet per adiutorum inscitiam, incuriamque, cibaria malè cocta, conditaq; vinum etiam fugiens, aut acidum preberetur; nihil denique sibi proprie apponi est passus vnquam. & grauius aliquando administrum puniit, quoddam racemum, sibi præter ceteros attulisset. Tales & suos optabat esse vt in omnibus paupertatis amor, tamquam Matris emineret. Pauperem autem spiritu, inquit Maffei, eum sibi aiebat videri, qui erga ea quibus vivebat, sic esset affectus animo, vt instar statuæ cuiusdam videretur esse, quæ nullo pacto resistit recusâtve, quo minus omni, quamuis pretioso amictu & ornatu confestim exuatur. Et quod mirabilius est, prudentiores ethnici, commoditatum hostes erant, Cato senior de se dicebat: Neque mihi est edificatio, neque vestimentum vllum in manu pretiosum; neque pretiosus seruus vel ancilla, si quid est, quo vtat. Et Seneca: Non est, quoddam te nimis laudes, si contempseris aureos lectos: quæ est enim virtus superuacanea contemnere? præsertim hominem Philoſophum: tunc te admirare, cum contempseris & sordidum panem. Cicero ait, Anacharsim Philoſophum ad suos scripsisse: Mihi amictus, tegmen Scythicum: calceamentum, solearum callum; cubile, terra; pulmentum, fames. Socrates aiebat, eam Diis maximè propinquum esse, qui minimis egeat. Quocirca fugiendæ sunt commoditates, non permittæ in Religione, ne secus facientibus, id possit dici, quod S. Chrysoſtomus scriptum reliquit, exprobrans exempla Ethnicorum, nostris meliora. Valde, inquit, deſteo, cum Græci (ita solet passim appellare Ethnicos) sint sapientiores nobis, qui iusti sumus Angelos imitari, imò verò, qui iusti sumus, Deum emulari.

Quod ij faciunt, qui minimis, & vilissimis, & paucissimis, & communibus sunt contenti. Sed timendum est, ne quibusdam conueniat, lamentatio

Y y y 3

Pl. 109.

191.
Maff. l. 3.
cap. 12.

194.
1. 3. c. 8.

195.

Tusc. 5.

ho. 26. in
1. Cor.

Doct.

tatio S. Dorothei. Patres, inquit, sancti, & maiores nostri, sibi ipsis mundum crucifigentes, per dura certamina sese quoque mundo crucifixerunt. Nos vero videmus nobis ipsis mundum crucifixisse, quia reliquimus eum, & ad monasteria diuertimus: at nolumus nos mundo crucifigere, adhuc enim in animo nostro, vigent blanditiæ illius, adhuc in nobis ipsius affectum abscondimus. Compatimur illius gloriæ, compatimur deliciis & voluptatibus, compatimur ornamentis & vestibus, ob viles & inanes res, delabimur plerumque, ad pristinas eius passionibus. Quod sanè, non nisi ex amentia provenit, ut qui pretiosas & magnas res reliquimus, ob minimas plurimum perturbemur. Atque id à nobis pessimum. Ut enim mundo, & eius rebus, abrenuntiamus: ita & pristinis eius passionibus abrenuntiare debemus, &c. Inter passionibus autem mundi, de quibus hic loquitur S. Dorotheus, non postremum locum occupant, commoditates inordinatæ, in victu, vestitu, otio, habitatione; fugienda ergo sunt ab iis, qui student abnegationi amoris sensualis.

196.

Qui autem plenioris amoris sensualis abnegationem expetit, ita corporis sensibus, ac membris utatur, quemadmodum Christus docuit S. Brigitam. Animam, inquit, desponsavi fide & dilectione & perseverantia virtutum, huic autem animæ adificavi domum, quando ei dedi corpus mortale, in quo probaretur, & in virtutibus exerceretur. Inter quinque autem servos animæ, scilicet sensus, tertius sensus est, gustus comedendi, & bibendi: hic est quasi bonus medicus, qui cibaria ordinat ad necessitatem, non ad superfluitatem & delectationem. Nam alimenta sumenda sunt, quasi medicamenta. Ideo duo consideranda in gustu, scilicet, quod cibum, nec multum sumatur, nec modicus, si enim multum sumitur, generat infirmitatem: si vero minus debito sumitur, facit tedium in servitio Dei. Et alibi B. Virgo Maria hæc eam docuit: In corpore, tria esse debent, refectio, labor, & voluptatis, ac consensus carnalis cohibitio. Primum sietas somni, vigiliarum, & refectio cum temperamento, ut nec minus, nec plus sit, sed sic, ut corpus sufficiat stare in servitio Dei. Secundo, continuatio in labore cum omni discretionem. Tertio, voluntas hilaris in servitio Dei, & cohibitio pravae voluptatis, ex qua anima illuminatur. Talis autem abnegatio amoris sensualis in nobis non erit, nisi nos tractemus ipsi & tractari velimus ab aliis tamquam peregrini, non tamquam ciues & incolæ huius mundi. Peregrini enim, dum sunt in itinere, multa patiuntur amoris sensualis displicentia. Sancti viri est, inquit S. Basilii, hanc vitam more hospitis transigere ac ad alteram properare: idè & David de ipsa loquitur: Incola ego sum & peregrinus, sicut omnes Patres mei. Incola item fuit Abraham, qui ne terra quidem propriè possedit vestigium, sed ubi opus ei sepulchro fuit, id argento mercatus est. Beatus planè, qui iis, qui in terra sunt, non ut propriis se addicit, neque isti seculo, tamquam naturali suæ patriæ, acquiescit, quin potius gravatur, qui incolarum hunc casum novit esse à rebus potioribus, & quasi proscriptionis domicilium

In feu. ex. tranag. cap. 85.

In Pl. 14.

vitam hanc incolit, perinde atque illi, qui ob quadam delicta coguntur Iudicum calculis solum vertere. relegati in exilium: Rarus inventus est talis, qui presentibus non ut propriis vacet. Quis ergo incolat tabernaculum suum? Tabernaculum Dei, hominis caro dicitur, ad animæ habitationem à Deo data. Quis carni huic ut aliena attenderit? Quemadmodum incolæ alienam terram mercede conductam, ad voluntatem eius qui elocavit agrum, colunt; ita & nobis carnis cura iuxta conductum ac prescriptum traditur, ut eam demum, decenter & officiosè excultam, suo reddamus elocatori frugiferam. Si vero Deo digna fuerit caro, reuera Dei tabernaculum efficitur, iuxta eam mansionem, qua inhabitat sanctus. Sicut autem terra ut frugifera sit, debet ab agricolâ, quemadmodum ait Abbas Moyses apud Cassianum, insatigabiliter scindi, eiusque indomita gleba frequenti vomere debent fuvigi, ut eam cunctis sensibus expurgatam, vniuersisque gramminibus abfolutam, in modum solubilis arene comminuat; Ita abnegationis vomere nostra debet caro versari, ut omnes sensualitatis vitiosæ sentes, & superflua gramina euellantur, & dignum animæ tabernaculum ac domicilium, Deo acceptum reddatur, qui ut dicitur Iob 28. 13. Non inuenitur in terra suauiter viuentium.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De tertio gradu spiritualis profectus posito in abnegatione propriæ voluntatis.

Tertius gradus est, abnegatio voluntatis propriæ.

Sicut omnium malorum peius est, vt ait S. Pachomius, legi Dei velle insistere, & acquirere propriam voluntatem: ita magni est apud Deum meriti propriæ voluntatis abnegatio, seu resignatio: per quam, vt ait S. Teresia, Deum liberi arbitrij quod dedit nobis, Dominum constituimus, & dum eius causâ, voluntatem, & rationem nostram alteri subicimus, nos illius dominos facit, ut nos ipsos, quàm perfectissimè in Dei obsequium impendere possimus, voluntatem nostram puram, & sinceram, illi dando, qui eam suæ coniungat, petendoque, ut amoris eius ignis, de celo descendat, & hocce sacrificium nostrum succendat, auferendo ab eo, quidquid oculis eius displicere potest: cum, quo minus id fiat, nos iam in causâ non simus, etenim iam ipsum (esto non sine maximis laboribus) altari imposuimus. Quod quidem sacrificium, maximæ quam habemus rei, non tantum acceptum est Deo, sed vique adeo necessarium in statu religioso viuentibus, vt Deus reuelauerit B. M. Magdalene de Pazzis, inter quinque res à Deo petendas, ad cuius suis Ordinis conseruationem necessarias, quintam esse: ut Religiosi perfectè agnoscant, quantum momenti sit, abnegatio propriæ voluntatis. Ideo ne ea perfecta sit in homine, diabolus omni conatu procurat, & quemadmodum scripsit

S. An-

Ep. 2. ad Arsem. S. Antonius Abbas: Maligni spiritus, cognoscunt se inter filios diaboli esse reputatos propterea, quod conantur vnicuique nostrum, propriam ingerere voluntatem. Experta est hoc in se etiam eadem B. M. Magdalena de Pazzis. Nam dum permittente Deo, per quinquennium tentationibus grauissimis premeretur, inter alia, quæ ei demones damna inferre conabantur, fuit, extinctio perfectæ resignationis, & propriæ voluntatis introductionio: quemadmodum ipsa, in quodam raptu testata est. Hæc abnegatio propriæ obedientiæ, maximè elucet in exercitiis obedientiæ, cuius pars est, propriam voluntatem, penitus alienæ subdere, in rebus omnibus, solo peccato excepto. Ideò Christus Dominus, commendans S. Brigittæ obedientiam voluntatis, ait, Charitas est quasi arbor, de qua omnes virtutes procedunt: inter quas primum tenet obedientia, pro qua ego ipse Deus, subire crucem, & mortem non dubitavi. Ideò obedientia est mihi placita, sicut fructus suauissimus: sic & homo ille, est mihi amicissimus, qui se ex humilitate aliis subiicit, & velle suum totum ponit ad manus aliorum, &c. Abraham ex voluntate sua, factus est dilectior, quia voluntati propriæ non obediuit. Et capite sequenti Christus Dominus sic loquitur: Obedientia est virtus, quæ imperfecta persciciuntur, & omnes negligentia extinguuntur. Nam ego Deus præ omnibus perfectissimus. & ipsa perfectio, obediui Patri vsque ad crucem, vt ostenderem exemplum meo, quàm placitum est Deo, abnegare proprium velle. Et alibi ait, Via qua ducit ad amorem meum, est perfectæ abiectio, & abnegatio propriæ voluntatis: quando homo, consideratâ Passione & Charitate meâ, non curat facere voluntatem suam, & resistit totis viribus, & conatur semper ad maiora. Et infra, improbens propriæ voluntatis seculos: Hic, inquit, ad tempus stant, in seruitio meo, nec relinquendo voluntatem propriam, sed suam faciendo, cum meâ voluntate, periculo sed positi sunt, quia duobus dominis seruire volunt, licet neutri bene seruire possint. Et cum eidem tria præcepisset faciendâ, tria mandasset non faciendâ, tria consulisset, tandem hæc sua decreta colligens in vnum subdit: Et præcipio, & mando, & consulo, & permitto, obedire, vt teneris. Hoc præcipio, quia Deus tuus sum; hoc mando, quia Dominus tuus sum; hoc permitto tibi, quia sponsus tuus sum; hoc consulo, quia amicus tuus sum. Merito: quia vt ait S. Bernardus, Non dormiet tecum sponsus in lecto vno; illo præsertim, quem tibi, pro obedientia floribus, cicutis atque vriticis inobedientiæ aspersisti, propter quod non exaudiet orationes tuas, vocatusq; non veniet. Nec enim dabit inobedienti copiam sui, tantus obedientiæ amator, vt mori quàm non obedire maluerit.

193. 16. reu. cap. 120.

199.

1.1. reu. cap. 15.

1.1. c. 16.

100.

Deo, per Superiores Dei interpretes statuuntur: præsertim si sint nostræ voluntati seu inclinationi contraria. In talibus enim occasionibus obedire, gratissimum Deo est. Hinc S. Hieronymus Ep. 16. ad Matrem, inquit, in tantum erat obediens, vt faceret, quæ volebat.

Hoc est, iugiter Christi crucem portare, vt vult Christus. Quod explicans Abbas Pinusius apud Cassianum, ait, Sed forte dicas; Quomodo potest homo crucem suam iugiter portare, vel quemadmodum viuens quis, posse esse crucifixus? Audi rationem breuiter. Crux nostra timor Domini est: sicut ergo crucifixus, iam non pro animi sui motu, membra sua, quocumque mouendi, vel conuertendi habet potestatem: ita & nos voluntates nostras, ac desideria, non secundum id, quod nobis suauis est, ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quâ nos illa constrinxerit, applicare debemus.

Habuit sic abnegatam voluntatem, Salamannus, vir sanctus, laudatus à Theodoro, qui manens in suâ domunculâ, sine vilo humano consortio, suscepit sacerdotium, dum Episcopus illius loci, per fossâ aliquâ parte domunculæ, esset ingressus, & manum ei imposuisset, non resistit, nec quidquam Episcopo locutus est; deinde, ciues vici ex quo erat, proficiscentes ad aliud locum, cum noctu fluminem traicissent, & domum perforessent, eum accipientes, nec resistentes, nec iubentes, in suum vicum exportarunt, & in domunculâ incluserunt: ille similiter quietem agebat cum nullo loquens. Paucis autem post diebus, qui erant illius vici, quæ est ex diuerso, cum noctu rursus aggressi essent, & domum perforessent, ad se abduxerunt neque contradicentem, nec vt maneret vrgentem, neque rursus prompto & alacri animo recedentem. Ita seipsum omnino mundo mortuum constituit. Hoc modo, quoad loca, & officia, & personas, abneganda est nostra voluntas. S. Fulgentius Episcopus & Abbas, apud Surium: Illos veros Monachos esse dicebat, qui mortificatâ voluntatibus suis, parati essent, nihil velles vel nolle, sed Abbatum tantummodo consilia, vel præcepta seruare. Ideò S. Severus Sulpitius commemorans monachos quos prope Nilum inuifit, ait: Hæc illorum prima virtus est, parere alieno imperio. De aliis quoque monachis alio in loco agens: præcipua, inquit, & prima ibi virtus, obedientia. Neque enim ibi aliter quis adueniens, à monasterij Abbate suscipitur, quàm qui tentatus fuerit & probatus, nullum vnquam recusatorem, licet arduum & difficile, indignumq; Abbatum imperium. De talibus scribit Cassianus, eos ascendere etiam posse summa perfectionis culmina, si doceantur primitus suas vincere voluntates & si studiosè exerceantur in his, semperq; eis imperentur de industriâ, quæ sentiuntur, eorum animo esse contraria. Et nullatenus, posse eum, iram, aut tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere, nec retinere veram cordis humilitatem, & cum fratribus perpetuam concordiam, & diutius in cœnobio permanere, qui prius voluntates suas, non didicerit superare.

Matt. 10. 38. 1. 4. c. 35.

201. hist. rel. cap. 19.

tom. 2. i. lan.

1. 1. dial. cap. 5.

1. 1. dial. cap. 11.

1. 4. de inst. c. 8.

Coll. 9. cap. 8. Sic Abbas Ioannes apud eundem: *finem ait Canobita esse, omnes suas crucifigere, & mortificare voluntates. Per hanc mortificationem voluntatum, ut ait*

l. 4. c. vii. *Callianus, extirpantur, atque marcescunt vniuersa vitia. Et est contra sine hac mortificatione, crescunt, feruent, & saepe perducunt hominem ad interitum. Quia de re, sic S. Bernardus: An, ex Collegio discipulorum reprobari quis poterit, nisi loculos habens: sunt enim loculi, non modò pecunia, sed & propria voluntatis. His similia multò antè docuit S. Climacus, loquens de Religiosis. Nemo, inquit, in caelestem thalamum coronatus ingreditur, nisi qui primam, & secundam, & tertiam negationem impleuerit: videlicet, & primò, renuntiet rebus omnibus humanis, & parentibus; secundò, voluntati propriae; tertio, inani gloria, quae solet obedientiam subsequi. Hoc confirmat Christi dictum, A diebus Ioannis Baptiste, usque nunc, regnum caelorum vim patitur, & violentè rapiunt illud. Qui, inquit Abbas Abraham apud Callianum, hi violenti sunt? Nempè illi, qui non aliis, sed voluntatibus suis, praeclearam inferunt violentiam, qui direptione laudabili, omni se presentium rerum voluptate fraudant, & per eiusmodi rapinam, regnum caelorum violentè inuadunt. Isti sunt perfectè laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni suae. Perditio nostra est, oblectatio vitae presentis, & ut expressius dicam, executio voluntatum, desideriorumque nostrorum. Quae frangendo, non tantum magnos meritorum cumulòs congregabimus, sed summam animi pacem tranquillitatemque, & passionum nostrarum dominium assequemur, à perturbationibus animi liberum. Nam ut ait*

Doct. 1. *S. Dorotheus: Si liberari perfectè volumus, & ab hoc saeculo, (non tam corpore quam mente) discedere, oderimus in primis voluntatem nostram, & sic breui, diuino praesidio, ad impassibilitatem animi peruenimus. Non quidem illam Stoicorum, à mebe & au, quam omnino impossibilem, in ista doctrinae primae dixerat, sed animi pacem, & quietem, ab inordinatis perturbationibus, & affectionibus impertinentibus liberi, seu, vt eam appellat S.*

lib. fund. cap. 5. *Teresia, libertatem spiritus, quam habent perfecti, & quae per obedientiam promptam acquiritur, & in qua, omnis, quae in hac vita desiderari potest, consistit felicitas, ac bonum. Dum enim omnino nihil desiderat, possidet omnia. Tales qui sunt, nihil omnino terrae huius, aut timent, aut desiderant: non illos turbant, aut percellunt labores, non mouent gaudia, denique nihil omnino est, quod pacem mentis ipsis eripere, aut eos inquietare possit. Fiant enim similes Deo. Omnes homines, inquit S. Diadochus, sumus ad imaginem Dei: illud autem, AD SIMILITUDINEM, illorum tantum est, qui per multam charitatem, libertatem suam Deo in seruitutem addixerunt. Quando enim non sumus nostri, tunc similes sumus ei, qui nos sibi per charitatem reconciliauit.*

In dial. cap. 1. *Et ita meritò S. Catharina Senensis, scribit, dictum à Domino, cuidam seruae suae. Si peteres à me, qui sunt isti tibi responderem; ipsi sunt alter ego,*

quia sponte perdidit, & abnegarunt eorum propriam voluntatem, facti meae voluntati conformes, & vniti, & in omnibus eadem induti. Et cap. 4. in fine, sic Deus ait: Dico tibi & patri animae tuae, quem dedi tibi super terram, vt viriliter toleretis eam, quae conceduntur vobis, omni voluntate propria sensitiua perempta. Hac enim ratione omnes virtutes acquiruntur. Vnde Callianus narrans, quibus viis Abbas Paphnutius Presbyter, ad vitam sanctimoniam peruenerit, ait, Humilitatis, & obedientiae disciplina omnes suas mortificans voluntates, per hanc, extinxit omnia vitia, cunctasque virtutes consummavit: Monasteriorum instituta, vel antiquissimorum Patrum doctrina fundauit. E contra verò, inter argumenta prophanae fidei in baptismo, & contempti Dei, Christus Dominus ponit, Diligere propriam voluntatem. Nam ut ait S. Pachomius in suis monitis: Qui suam perficit voluntatem, à diuina cognitione fraudabitur, nec poterit percipiendi propriam voluntatem, per viam sanctorum incedere; & in nouissimo interitum, & plañctum inueniet.

Quomodo autem ad abnegationem propriae voluntatis peruenire possimus, practicè, ita docet eodem loco S. Dorotheus: Nihil adè adiuuat hominem ad hoc, quam sensus suos odisse. Atque ita se habet haec ratio, ad omnem virtutem, vt si viator, iter ingressus, scipione inuenit, cui imitatur, iter magis acceleret, & praecupet viam: sic enim qui viam hanc incedit, si propriam voluntatem abscondat, abscedit, & pristinas affectiones, quibus praecisus, sic Dei opere, omnino impassibilis (scilicet liber à perturbationibus) neque quisquam putet hoc arduum, atque difficile, cum breui compendio ac spatio, quis seipsum possit, si velit, decies abnegare. (Vnde apparet, per impassibilitatem, eum intelligere, abnegationem propriae voluntatis, coniunctam cum tranquillitate animi, à perturbationibus liberati.) Quod quo pacto fiat edocebo. Pergit Dorotheus, Obambulat aliquis, & quispiam conspiciatur, persuadetur à cogitatione, vt id aduertat, at is, cogitationi, & non bona persuasioni repugnat, seseque auertit. Rursum, inuenit quis, nugis, & variis rumoribus occupatos, persuadetur, vt se quoque turba immisceat, & verba pariter inserat, id negat se facturum, & auertit aliò, propriam voluntatem abscondit. Item succurrit illi, vt cocum adeat, interrogatque, quid parat obsonij; non adit, ac se cohibet. Cernit aliquid in culinà, quis illud attulerit, sollicitatur interrogare, comprimit appetitum, & vocem, & nihil percunctatur. Sicque dum parua quaeque praescindit, sensim quacumque aduenientia praescindere assuecit, & iam summam cum requie, nihil praeter voluntatem suam sentit habere, & quidquid factum fuerit, eo ita contentus est, ac si ad vota sua euenisset. Qui enim propriam nihil habet aut vult, quidquid factum fuerit id proprium putat. Cum nullam affectionem (scilicet non necessariam, impertinentem, habeat, omnino, tandem vt dixi, ad impassibilitatem animi perducitur. Aduerte igitur, quantum pusillum hoc, proficere nos faciat, & propriam abscondere voluntatem, quantum conferat.

Deinde

Deinde addit mira præmia voluntatis propriæ abnegatæ. Ad cuius rei confirmationem, valet illud, quod legimus in Vitis Patrum apud **1. b. 141.** Ruffinum: Quidam, inquit, ex Patribus, in extasi postius, vidit quatuor ordines ante Deum. Et primus quidem erat hominum infirmantium, & gratias agentium Deo; secundus vero erat eorum, qui hospitalitatem sectantur, & in hoc flant & ministrant: tertius vero illorum, qui solitudinem sectantur, & non vident homines; quartus vero illorum, qui propter Deum & obedientiam, solliciti & subiecti sunt Patribus. Erat ergo illis tribus ordinibus, hic ordo superior, qui obedientiam exhibebat: & vrebatur torque aureâ, & maiorem gloriam præ ceteris possidebat. Dixit autem senex ei, qui sibi hoc in extasi demonstrabat: Quare hic ordo quartus, maiorem ceteris gloriam habet? Ille autem respondit ei, dicens: Quia isti alij omnes, habent aliquam requiem, adimplendo quamvis in bonis operibus voluntates suas; obediens autem, propriam voluntatem relinquens, pendet in patris voluntate iubente. & idem maiorem præ ceteris gloriam est spiritus. Scudendum ergo est, abnegationi propriæ voluntatis. Ideo nosse P. Balthasar Alvarez, eum qui sub obedientiâ esset, non volebat cogitare, quid esset cras de se futurum, aut quid ipse acturus: responso enim est in promptu, faciam quod iubebor; erit, quod voluerit Deus. Et ita ait, hoc totum lucrum meum est, ut te Deum meum contentum habeam, tibi quæ, satisfaciam: esto tu contentus. & pone me, etiam in torura, iube vertere: & inverte me: quia nihil ego aliud expecto, quam ut iubeas. Si opus est, totâ vitâ meâ cursitare, id meum est solatium: quod dicebat, quia tunc sentiebat difficultatem, & repugnantiam ad professionem, tum ob valetudinis defectum, tum quod vereretur, aliquam suæ recollectionis iacturam. In omnibus tamen sese resignavit, & obedientiæ subiecit, contemnens suas repugnantias, magnamque gloriam iudicans, quod eas vinceret. Hinc etiam quæ illa oriebatur, quæ in loco & officio manebat, à Superioribus sibi iniuncto. Exrector Salmantinus missus Villagartiam, oppidum paruum, libentissimè est profectus, ut se tibi includeret; optans in illo loco vitam suam, si Deo ita placeret, finire. Dicebat enim Religiosos horrere debere, mutationes officiorum, occupationum aut locorum, in quibus à sanctâ obedientiâ collocantur, memores verborum Angeli ad S. Ioseph, cum mitteretur in Aegyptum: Esto tibi usque dum dicam tibi.

Matth. 2. Cuius rationem reddebat, quia nemo posset ad altiorum locum ascendere: quàm ut ab ipso Deo in re aliqua constitueretur, & non à seipso. Relictis igitur is voluntatem suam, & ita sunt omnia feliciter expedita, ac dicitur de eo felices aures, quibus obedientiæ vox dulcescit. Numquam animum abiecit in rebus arduis ac difficultibus, in quibus obedientiâ illum collocabat, etsi aduerteret se valentis destitutum ad eas sustinendas. Dicebat enim ex quo Deus Religiosum posuit, ipse eundem deducet, etiam cum profectu: quod si illum oneret, quàm ferre possit, seipsum onerat, quia in se recepit supplere quod illi deest. Et si iusserit aliquem loqui, nescientem loqui seipsum obligat ad eum docendum. Id igitur ego velle, ut ipse manu suâ iningeret, quod meas facultates excederet. Nam hoc ipso tenetur mihi dare. Quare, qui ab obedientiâ, in aliquo officio, aut ministerio constituitur, ad quod præstandum, existimat sibi fortitudinem, eruditionem, prudentiam, auctoritatem deesse, postquam hanc suam ineptitudinem Superioribus proposuerit, ne animo deficiat, sed revelet Domino viam suam, & speret in eo, quia ipse faciet. Ad unum veritas ac certitudinis firmitatem, attendat prudentiam quam dedit Davidi super suos inimicos, scientiam super omnes docentes eum, & intelligentiam, experientiam super senes & expertos; auctoritatem quam dedit Iosue, cum eum constituit populo Israel, loco insigni aded illius Ducis Moysi; cor in Saule immutatum, ut & sentire, & loqui, cum Regiâ Maiestate posset. Opinionem, quam dedit Pharaoni de Ioseph, & astringentem doctrinam eius, ut eum sibi, totiusque regni Magnatibus Magistram, ac Doctorem præficeret: caelestem lucem ac sapientiam, quam Danieli dedit, super omnes quos Nabuchodonosor, ex filiis Israel eligere voluit, ut in suo conspectu stare possent: & media quæ adhibuit, ut ille eiusque socij, aded sapientes euaderent, atque eorum assistentiæ requirebat. Et consequenter aiebat, securitatem in agendo cum proximis, cum ex obedientiâ id fiebat, esse valde magnam. Aded ut si quis obediens causâ, infames feminas accederet, ut illas Christo lucraretur, cum eis agens, mundissimas esset habiturus cogitationes, ac si esset Angelus: quod si ex propriâ voluntate in cubiculo suo maneret, sedâ tibi cogitationibus adurendus foret. Nescio inquit quomodo quis potest, tutum reputare, quod à Domini voluntate recedat. Quam quæso securitas esse potest, ubi Deus non est? hoc enim est, quod S. Bernardus dicebat: quando bene erit sine illo: aut quando male cum illo? Expertus erat, quod quamvis illi interdum, occurreret contrarium eius, quod obedientiâ iniungebat, esse melius, parendo tamen, deprehendebat rectius fuisse, quod obedientiâ præscriperat: ac propterea eam appellabat, Consilium, ac Dispositionem Dei: & idem illi subid, cui aliquid eius videretur non esse ad rem, dici posset, illud scripturæ divinæ: Iustus ex fide vivit: & secretum quod ipse non assequitur, esse mysterium fidei. Ex quo optimi proveniunt exitus ei, i. Tim. 3. qui cum fide & humilitate, opere illam exequitur, etsi media illi disparata & contraria esse videantur. Ac propterea delectabatur valde, narratione cuiusdam P. Provincialis Prouincie Castellæ, dicentis: quod quando ex vrbe, ad aliquam obedientiæ ordinationem mitterebatur, ut hoc, aut illud determinatè faceret, videbatur sibi celum aperiri, & cor suum exultare: quando autem sibi dicebatur, ut quid agendum esset cogitaret, eligeret, quod videretur, tunc se in magnis angustiis fuisse. Denique occultam quamdam Dei manum aduertebat, mouentem ac dirigentem eius negotia, & actiones per ipsam obedientiam: & hoc illum quietum valde, ac pacatum reddebat: quidquid sibi tandem ex eâ eueniret. Ad quam rem habebat aliqua sensa, ac sententias admirandas. Deo Domino nostro dicebat: Nulla Domine alia via, aded possum esse tuus, atque dum desino esse meus. Iuramento obstrinxit se ipse Dominus, quod faciet crescere eum, qui ipsi erit in obediendo fidelis. Nam de obediens Abraham dicitur: Non est

Psal. 63. 1.
Psal. 118. 97.
Rom. 1.
17.
1. Tim. 3.
9.
Eccle. 44.
10.
est

est inuentus similis, qui seruaret legem excelsi: idem in-
reuerando fecit illum Dominus crescere plebem suam.
Quid nobis nocet, si obedientia intuitu, ea relinqua-
mus, quae nos delectant; & aggrediamur, quae nos cru-
ciant & vexant: nisi quod meritum nostrum augebit?
Obedientia est crux perpetua: gladius propriarum ob-
lectationum, vena vitae, fons aureus, non est autem exi-
guum bonum, aut malum censendum, quod rectè attingamus id, quod praescribit obedientia, aut ab eo decli-
nemus. Est enim materia, quae semper in manibus ver-
satur. Quemadmodum enim Moyses erat Pharaonis
Deus, ita Superior est Deus obedientis dicentis: sonet
vox tua in auribus meis, vox enim obedientia dulcissi-
ma mihi est, & iucundissima. Haec P. Balthasar A-
luarez.

Abneganda est ergo voluntas propria, &
Deo tradenda ac veluti immergenda in volan-
tate Vicariorum Dei, Superiorum nostrorum,
& sine vilo discrimine faciendae sunt omnia
quae imperant, & vitanda quae vetant. Hoc e-
nim est proprium verorum Dei seruorum. Nam
ut ait Saluianus: Nulli seruorum licet ex iis, quae do-
minus suis imperat, eligere pro arbitrio, quid veli fa-
cere, quid noli, & insolentissima abusione, quod pla-
cuerit assumere, quod displicuerit repudiare. Maxime
cum & terrestres domini, nequaquam aequo animo tol-
erandum putent si iustiones suas serui, ex parte au-
diant, & ex parte contemnant, & pro libidine sua, quae
putauerint faciendae, faciant, & quae putauerint con-
culcanda, conculcent. Si enim pro arbitrio suo serui do-
minis obtemperant, ne in eis quidem, in quibus obtem-
perauerint, obsequuntur. Quando enim seruus ex do-
mini iussu, ea facit tantummodo, quae vult facere, iam
non dominicam voluntatem implet, sed suam. Quo-
circa, si serui Dei esse & haberi volumus, nil
nostrae sed omnia Dei voluntate eligere, & exe-
qui sumus parati, quod non continget nisi no-
stram penitus abnegauerimus voluntatem. De
cuius abnegatione adeo fuit sollicitus S. Anto-
nius Abbas, ut scriptum reliquerit ad suos Ar-
senoitas. Verè filiole, anima mea phantasma patitur,
& spiritus meus in pauore consistit, quod vniuersi nos,
velut gurgite immersi sumus, & velut ebrii in vino con-
sistimus, cum vnusquisque nostram propriam destrabitur
voluntate.

202. Sanè N. S. P. Ignatius, abnegationem propriae
voluntatis, tamquam fundamentum quoddam
vitae spiritualis, magni faciebat, & exigebat à
suis. Cum P. Hieronymus Natalis, primam vice
venisset in Hispaniam, tamquam Visitator So-
cietatis anno 1553, in aliquot locis nostri con-
quererentur, quod parum temporis, esset eis
praescriptum ad orationem, & quod nisi auge-
retur tempus, se sustentare in spiritu nequirent,
& quod pudore afficerentur, dum interrogan-
tibus, quantum temporis in die, orationi da-
rent, vnam tantum horam esse assignatam re-
sponderent. Reuersus ergo P. Natalis ex Hispania
anno 1554, proposuit P. Ignatio 22. Nouem-
bris, hanc nostrorum quietam, & in eam par-

tem propendebat, ut saltem pro Hispania plus
temporis praescriberetur. Decumbebat tunc in
lecto infirmus S. Pater, & modestissime hoc fe-
rens, vultu ad admirationem indignabundo &
offenso, asperrime reprehendit Natalem, tunc
Vicarium Generalem Societatis à se factum,
praesente & audiente haec, Patre Ludouico Gó-
saluo (à quo in Diario hoc ipsum scriptum est)
dixitque Natali; Homini verè mortificato, sufficere
vnum quadrante orationis: & non probant,
quòd in Hispania, nostris scholasticis, ad vnam
orationis horam, semihoram addidisset: & ab
hoc dictamine, se numquam recessurum dixit:
ed quòd mortificatio & abnegatio propria voluntatis
(quam supponebat scholasticos in nouitiu
acquisiuisse) plus vno quadrante mortificato conser-
ret vtilitati, quam immortificato duae horae orationis.
Possè tamen dicebat, concedi plus ad orandum
temporis, valde tribulato, & pressio maiori ali-
qua extraordinaria necessitate. Die deinde se-
quente cum P. Ludouico Gonsaluo dissetens,
S. P. dixit non esse maiorem in vita spirituali errorem,
quam velle gubernare alios, ad non manu suis: &
ex centum dedit longis orationibus ac penitentiis, vel
octuaginta nouem, vel nonaginta esse illusos, & ad
magna inconuenientia delabi, praesertim ad duritiam,
ac miriam tenacitatem proprii iudicij. Et ita S. P. to-
tum fundamentum ponebat in mortificatione, & ab-
negatione propriae voluntatis, & magni faciebat indif-
ferentiam, & probationes Societatis ac examina, &
testimonia de illis: ex quibus de aliis virtutibus, & non
ex oratione, seruebat sententiam, nisi forte ex illa, quae
ex his nascebatur; & illud orationis genus probabat
valde & laudabat: quod sit, Deum semper ante oculos
praeserendo. Haec omnia P. Gonsaluo scripto
annotauit. Debet esse ergo cordi abnegatio
propriae voluntatis, & quasi quaedam eius occi-
sio ac mors: quod non est difficile iis qui virtu-
tum perfectioni attendunt. Nam, ut dixit Deus
S. Catharinae Senensi: Virtutes intrinsece demon-
strant voluntatem esse mortuam, & perpetuo se occide-
re in sensualitate, ex affectu amoris virtutis. Tanto
autem magis studendum est abnegationi prop-
riae voluntatis, quae ex amore proprio nascitur,
quasi, ut B. M. Magdalena de Pazzis, in quodam
raptu exclamans dicebat: Ab amore proprio &
propria voluntate, impeditur flumen diuinae gratiae,
tamquam aggeribus quibusdam ne adeò se communi-
cet, & expandat, & reducat, in animas, vti Deus fa-
ceret, si haec impedimenta abessent. Et quemadmodum
arena exigua in litore maris, eius fluctus refrenant, ne
vltra profundantur; sic amor proprius & propria vo-
luntas, obstat cursui, & flumini diuinae gratiae, quae alio-
qui sine vlla difficultate, totum genus humanum tra-
heret ad caelum. Non est hoc modicum malum: sicut non
sunt necessarij montes, ad cohibendum mare ne effluat
vltcrius, sed sufficit ei litore arena, sic non sunt neces-
sarij montes peccatorum enormium, ad retinendum rapi-
dum cursum Oceani gratiae diuinae, sed sufficit arena fi-
lorum defectuum, qui nobis videntur parui, & non sunt.
Ne

lib. i. de
prouid.

Ad Arse-
noit.
Epist. 5.

10. dicit

cap. 9.

203.

par. 10.

1. 1. 1. 1. 1.

10. dicit

cap. 9.

203.

par. 10.

1. 1. 1. 1. 1.

10. dicit

cap. 9.

Ne ergo se tantis bonis priuaret, hæc sanctissima virgo, ne quidem Spiritum sanctum desiderabat, desiderio, est bono & pio, orto ex propria voluntate. Ideo dicebat: *Nolo illum desiderare, ex me ipsa, tamquam à me ipsa: quia nolo habere vllum desiderium, & audeo dicere, imò dicam, quamuis illud desiderium ipse mihi daret, vt per illud mea voluntas fieret, & non illius, tamquam illius, & non tamquam mea; etiamsi in hoc esset eius voluntas, sed illa non esset principaliter, imò totaliter eius; nullo modo vellem esse contenta. Tanti facio non possidere, neque vti tamquam meo, quod ei semel donauit, & volo vt sit totum suum, vt possim dicere cum omni veritate: In omni re, fiat voluntas tua. Dico de meâ voluntate & de meo desiderio. Atque ita, bonum, quod ad me non venit per hanc viam, para solius diuina voluntatis, non mihi videtur bonum, & potius eligerem, & ita opto, non habere, vllum aliud bonum, nisi hoc, (quod tamen est eius) Relinquere totum meum velle, & desiderium meum in ipso, potius quam habere quoduis aliud donum, solum per meum desiderium, & per meum velle. Quocirca, vt monet Thomas de Kempis, dicendum est Deo, verbis cordis: Domine, tu scis, qualiter melius est, fiat hoc, vel illud sicut volueris. Da quod vis, & quantum vis, & quando vis. Fac mecum sicut vis, & sicut scis, & sicut tibi magis placuerit, & maior honor tuus fuerit. Pone me, vbi vis, & libere age mecum in omnibus: in manu tuâ sum, gira & reuersa me per circuitum. En seruus tuus ego, paratus ad omnia. Qui sic constitutus est, & in occasionibus talem se exhibet, habet abnegatam propriam voluntatem. Alioquin, talis sit, sepe coniecit se in periculum salutis. Ponderauit hoc grauitè S. Macarius: Sicuti, inquit, seruus, qui ad palatium aliquod accesserit, vt tractet supellectilem, ministerio Regis deputatam, summâ prudentiâ ac discretione opus habet, ne quid præter decorum ministret, alia pro aliis esculenta, apponens mensa regia, qui si forte per ignorantiam, & sine discrimine, non ex ordine Regi ministrauerit, periculo, morti, sit obnoxius. Sic & anima, qua per gratiam & spiritum Deo seruit, non parua discretione, & prudentiâ opus habet, ne fallatur in supellectili diuinâ, nempe in ministerio spiritali, propriam habens voluntatem, gratia (per Superiores declarata) non consentientem. Nam fieri potest, vt in spiritali ministerio, quod per interiorè hominem clam peragitur, anima, ex propria suppellectili, hoc est, spiritu proprio, Domino ministret. Talem animam, manet supplicium, mors & lactus: quod diuinus etiam Apostolus dixit: Ne forte cum altis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Obsecremus igitur Deum, vt quicumque gratiam Dei consecuti sumus, seruitium eius, secundùm voluntatem eius exhibeamus, promptissimâ voluntate, vt hoc modo, illi gratissimo, conuersantes, & spiritali cultu, secundùm voluntatem illius seruientes, vitam æternam hereditario iure possideamus. Hoc autem præstat, perfecta obedientia, de qua hæc scribit B. Catharina Bononiensis, in libello Dei iussu conscripto: Quis dubitare potest de sua salute, si finiat vitam in obedientiâ, que plus similem facit Domino suo Christo,*

quam vlla alia virtus. Credat firmiter se melius saluandum per illam, quam vllam penitentiam, ieiunium, & quamuis contemplationem. Qui autem alienæ voluntati obedit semper, veram obedientiam habet, & voluntatem abnegauit propriam, estque affectus, altum hunc profectus & perfectionis gradum.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De quarto gradu profectus spiritualis eorundem, circa abnegationem proprii iudicij.

Quartus gradus est, abnegatio proprii iudicij.

Signum profectus in hoc est, si quis in tertio Anno, apud se inuolabiliter statuat, iudicare deinceps optima, & sibi conuenientissima, ac debita, omnia illa, quæcumque ei totâ vitâ eius contingunt, circa occupationes, gradus, loca, habitationes, & circa alia omnia, quæ à Superiorum voluntate pendent. Hoc commendat, S. Hieronymus Rustico Monacho: *Præpositum i-meas, vt dominum diligas vt parentem: credas salutare, quidquid ille præceperit, nec de maiorum sententiâ iudices, cuius officij est obedire, & implere quæ iussa sunt.* Nam, vt ait S. Gregor. *Vera obedientia, nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ iudicium, Superiori subdit in hoc sacculo, gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur: nescit enim indicare, quisquis perfectè didicit obedire.* Cur Causâ indicat, in Monachorû Egyptiorum obedientiâ Cassianus: *Sic vniuersa complere, quæcumque fuerint à Præposito præcepta, tanquam à Deo sint cælitus edita, sine vllâ discussione festinant, & nonnumquam etiam impossibilia, subimit imperata, eâ fide ac deuotione suscipiunt, vt totâ virtute, ac sine vllâ hesitatione, perficere ea nitantur: & ne impossibilitatem quidem præcepti, pro senioris sui reuerentiâ, metiuntur.* De talibus est S. Benedicti in Regulâ: *Mox vt imperatum à maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo: de quibus Dominus dicit: ab auditu auris obediunt mihi.* Similia docet S. Basilus, S. Bernardus, Cassianus. Vnde S. Thomas, explicans dictum S. Benedicti, dicitis: *Tenendum esse, si Prælatus aliquid impossibile præceperit, hoc inquit, idèd dici, quia an aliquid sit possibile, subditus non debet suo iudicio definire, sed in vnoquoque Superioris iudicio stare.* In Vitis Patrum, libro de humilitate, Abbas Nestero ingressus religionem, hoc apud se statuit: *Ego & asinus vnum sumus: posthac debeo esse sicut ille: quidquid ei imponitur hoc portat, & sine morâ quidem, non petens quare, aut ad quem finem.* Hunc imitemur, & cum Dauide, quilibet nostrum dicat: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Quod in bonam partem accipit S. Hieronymus, & S. Augustinus: id est,

204.

Ep. 4.

1.2.c.4.
in 1. Reg.1.4. Inft.
cap. 10.Pal. 18.
Bas. conf.
mon. c.Bern. l. de
præc.Caf. l. 4.
cap. 41.

1.2.q. 11.

pag. 651.

Pal. 72.

23.

in Com.

est,

est, inquit Bellarminus: obedire tibi sine contradictione statui, & omni quodcumque portare decreui, & à fide, & à charitate tuâ non recedam. Hoc confert

1.4. inflit. cap. 4.

abnegatio iudicij. Ideo Cassianus ait: stultum te secundam apostoli sententiam, facias in hoc mundo, ut sis sapiens: nihil scilicet discernens, nihil diudicans, ex his que fuerint tibi imperata, sed cum omni simplicitate ac fide, obedientiam semper exhibeas, illud tantummodò sanctum, illud vtile, illud sapiens esse iudicans, quidquid tibi, vel lex Dei, vel senioris examen indixerit. Tali enim institutione fundatus, sub hac disciplina, poteris durare perpetuò. & de cenobio, nullis tentationibus inimici, nullis factionibus deuolueris. Imò multis Dei donis repleberis. Nam ut docuit Christus Dominus B. M. Magdalenam de Pazzis: Inter impedimenta donorum Spiritus sancti, non tantum sunt ea peccata, que Deum expellunt ex animâ, sed & propria voluntas, & proprium iudicium eorum, qui modo suo volunt seruire Deo. Qui quidem desiderant Spiritum sanctum, sed eum desiderant eo modo, qui illis placet, & qui illis videtur, & sic se reddunt inhabiles, ad percipiendum eum, qui est, tamquam hamus quidam, quo Deus vult capere animam, ex se ad eò vitem.

3 par. vit. §. 1. nocte.

205.

Cap. 10.

Claudam hoc caput, pio quodam sensu, ac lumine, quod habuit sanctæ memoriæ, P. Ludouicus de Ponte, in quibusdam Exercitijs spiritualibus, dum ea fecit, & quod scriptum reliquit, in quodam suo memoriali, citato in vitâ eius manus scriptâ: ex quo, pro abnegatione propriæ voluntatis & iudicij, apta peti possunt monita: Abnegationem perfectam cognoui, in magnâ vigilantia ad sentendum motus inordinatos animæ, & ad reprimendum statim, & castigandum nos pro illis. Sicut fortis miles, viso hoste eum aggreditur, & necat, & timorem incutit alii ne accedant: ita est genus pietatis in hac parte, secum esse crudelem.

Ha motuum inordinationes rediguntur ad quatuor.

Prima inordinatio est in cogitationibus, & imaginationibus de rebus noxiis, vel vanis, vel impertinentibus illo tempore, vel cum nimia sollicitudine.

Secunda est in affectionibus, & volitionibus rerum prohibitarum, ut sunt, affectus superbia, ira, inuidia, & alia: vel quoad modos prohibitos, ut est turbatio, vel inquieti propensio, ad concionandum, sciendum, & circa officium proprium.

Tertia est, in repugnantia erga opera virtutum, cum cupiditate annexa, circa illa: ut sunt opera, cultus diuini, obedientia, amoris proximorum.

Quarta est, libertas sensuum, in videndo, audiendo, loquendo, exequendo ad has res, ex curiositate, vel impetu, vel libertate, &c.

Quod si in his quatuor generibus inordinationum, me mortificabo, & negoabo, tollam impedimenta vniouis cum Deo, & perfecta familiaritatis cum illo, & potero dicere: Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit me in charitatem. Hæc ille.

Atque ita etiam per examina, harum quatuor inordinationum, poterunt cognoscere qui

voluerint, an & quantum, in abnegatione sui profecerint.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De quinto gradu spiritualis profectus, qui est maior Dei cognitio.

Quintus gradus est, maior Dei cognitio.

Signum profectus in eâ est, si quis agnitâ Dei excellentiâ, absolutâ & respectiua, hoc est beneficiantiâ eius erga nos multiplici, nunc agnoscat meliùs turpitudinem peccati cuiusvis etiam leuissimi, quo Deus offenditur: obligationem quærendæ omnimodæ perfectionis, ob Dei gustum & gloriam: præsertim, quàm accuratè sint omnia peragenda, quæ spectant ad Dei tam excellentis cultum, & ad exequendam Superiorum, Viciorum Dei voluntatem, & quàm grati esse debeamus Deo, ob tot eius beneficia & immediatè ab eo, & mediis creaturis collata. Nam ut scribit S. Antonius Abbas ad Arsenoitas. Qui cognouerit Deum, agnoscat & diffinitiones illius, quas efficit in propriis creaturis: tum in earum, tum in nostrum commodum. Et alibi: Qui cognouerit Deum, hunc adorare debet, sicut oportet. Hæc enim omnia ad Deum referuntur, & eius meliùs colendi, ac præcepta perfectiùs exequendi studio, horum cognitio quærenda est. Scimus, inquit S. Ioannes, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus: qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & veritas in eo non est. Tali cognitioni & scientiæ Dei, illud conuenit, quod scribit S. Bernardus. Scientia ista, in primo gradu, operatur penititudinem & dolorem: ut risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in merorem conuertat: & incipiant tibi displicere, que vehementer antea placuerunt: & illa specialiter horreas, que specialiter appetebas. Sic enim scriptum est: Qui addit scientiam, addit & dolorem, ut veracis & sanctæ scientiæ, sit dolor subsequens, argumentum. In secundo vero gradu, operatur correctionem, ut iam non exhibeas membra tua, arma iniquitatis peccato: sed coercas gulam, iugules luxuriam, superbiam deprimas, & facias seruire corpus sanctitati, quod iniquitati antea seruierat. Penitudo enim, sine correctione non proderit, sicut Sapiens ait: Vnus edificans, & vnus destruens, quid prodest eis nisi labor: qui enim baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, nihil proficit lauatio eius. Sed quia hæc diutius haberi non possunt, nisi circa se multâ circumspectione, mens indefessa vigilet & attendat. In tertio gradu operatur sollicitudinem, ut iam sollicitus incipiat ambulare cum Deo suo, & ex omni parte scrutetur, ne vel leuissimâ re, tremenda illius Maris offensus aspectus. In penitudo accenditur, in correctione ardet, in sollicitudine lucet, ut interius & exterius renouetur. Denique per hanc maiorem cognitionem Dei, generosus redditur animus, ad

ad magna quæque, in Dei obsequio præstanda, à suis Superioribus imposta. Nam vt benè scripsit S. Teresa, in libro fundationum, iussu Patris Ripaldæ Societatis nostræ, eius Confessarij confcripto, quò quis Deum magis cognoscit, eò etiam illius opera, ei faciliora redduntur.

207. Omnia autem cognitione rerum credendum de Deo, vt est vnitas Diuinæ essentia, Trinitas personarum, processio Spiritus sancti à Patre & Filio, de quâ hic non agitur, vt nec de cognitione eius æternitatis, immanentis & similitum, quæ præsupponuntur, acquisita ex doctrinâ Catechismi: quatuor rerum potissimum cognitio, in tertio anno augenda ac perficienda est, & ab aliis extra Societatem, in eo statu in quo à Deo sunt collocati.

Primò, Diuinæ Maiestatis, seu excellentiæ, ex quâ oriatur timor eius, refrenans nos ab omni peccato: item summa reuerentia erga tantum Nomen, & summa diligentia in operibus ad Dei cultum spectantibus, vt est oratio, Missæ sacrificium, horæ canonicæ. Qui enim intimè cognoscit, infinitam Diuinæ Maiestatis excellentiam, non præparat se diligentius ad concionem, vel disputationem, quam ad meditationem: non festinat in horis canonicis dicendis, vel Missæ, vel Litanis, sicut non festinat, dum alloquitur Regem; & principalius attendit, ac feruentius, libentius quæ ad illas occupationes (quantum in ipso est) quæ naturâ suâ, Deo magis placent, & quæ sunt magis meritoria, quàm ad alias, quæ eum tantum in hac vitâ possunt reddere magis gloriosum & honoratum: vt est profectus in literis, & prudentia in rebus gerendis & similia.

Secundò, cognoscenda penitus, summa perfectio, & bonitas absoluta Dei, quæ eum reddit infinitè amabilem, ex quâ nascitur amor ingens Dei, tamquam omnia amabilia in se habentis, & quòd simus merum nihil, nobis ostendentis. Vnde benè dicebat B. Laurentius Iustinianus: Veram scientiam esse, scire hæc duo, DEVM esse omnia, & se nihil. Vbi autem est hæc cognitio, eam sequitur magnus amoris erga Deum affectus. Nā de charit. vt ait S. Maximus: Quemadmodum solis lumen, sanum oculum ad se pertrahit, sic Dei cognitio, puram mentem, per charitatem, naturaliter (id est promptè) ad se illam allicit.

Tertiò, cognoscenda est melius, summa eius beneficentia, & liberalitas, quæ excitat immensum desiderium, merita accumulandi, & coronas gloriæ cælestis maximas, etiam cum summo incommodo nostro, & nostri humiliatione, cōgregandi.

Quartiò, cognoscenda est melius, summa eius sanctitas, quæ mouet vt sapiat status religiosus, per quem ei similiores reddimur, & vt conemur in omnibus rebus esse sancti, eiq̃ue simillimi. Hæc sunt præcipua, quæ ex cognitione excellentiæ Dei absolutâ, & respectiua nascuntur.

Nam vt ait Clemens Alexandrinus, vt mors, est separatio animæ à corpore, ita cognitio Dei, est mortalis, abducens & separans animam à motibus & perturbationibus, & deducens ad vitam beneficentia, & bonarum operationum, vt tunc Deo liberè dicat: Vno sicut vs. Atque ita ibidem, Clemens Alexandrinus, cognitionem Dei ait esse, quæ hominem piū ac religiosum efficiat, & ritè eum qui est verus Deus, colere, prout eus decet Maiestatem: & Dei cultus esse curam continuam, & perpetuam in Deo occupationem, per charitatem, quæ numquam intermittitur. Et addit ille, qui cognitione Dei præditus est, solus est pius ac religiosus: qui pulchrè & citra vllam reprehensionem, in rebus humanis Deo seruit. In quem sensum S. Catharina Senensis, inter doctrinas dialogorum suorum, diuinitus reuelatas, dixit, post cognitionem diuinæ bonitatis, illic sequi amorem, cap. 1. qui diligendo, sequi conatur & se induere veritatem. Et alibi, Deus illi ait: ex hac notitiâ, hauries tibi curam, cap. 4. hæc necessaria. Tunc in cognitione mee bonitatis, in se succenditur anima, cum ineffabili dilectione, propter quam in iugi penæ commoratur, non quidem in afflictiua & quæ excitet animam, sed quæ eam impinguet. Nam quia veritatem meam agnouit, & propriam culpam suam, & ingratitude ac cecitatem proximam, habet penam intolerabilem; & idè dolet, quia me amat. Nam si me non amaret, non doleat. Vnde subito, postquam ea & serui mei agnosceris, modo dicto, veritatem meam, oportebit vos sustinere vsque ad mortem, multas tribulationes & iniurias, & impropria in dictis, & in factis, pro gloria & laude nominis mei: & sic faciendo, satisfies pro culpis tuis, & aliorum seruorum meorum, penis ex charitate pro me toleratis, iuxta dispositionem eorum. His similia dicuntur & cap. 5. Deinde cap. 7. sic Deus Pater loquitur de utilitate cognitionis suæ bonitatis: Cognitâ meâ bonitate, seruentur amat illam, sine medio & cum medio: sine medio sui, & sua propria utilitatis: amat verd cum medio, scilicet virtutis, quam virtutem concepit per amorem meum: quia videt, quòd alio modo non esset mihi gratus & acceptus, nisi concepisset odium peccati & amorem virtutis. Quæ postquam concepit per amoris affectum, subito parit illum proximo suo: quia aliter non esset verum, quòd conceperit in se, sed sicut in veritate me amat, ita in veritate facit utilitatem proximo suo: nec aliter fieri potest: nam amor mei, & amor proximi sunt vna res; & quantum anima me amat, tantum amat illum: quia amor erga illum exit à me. Hoc est illud medium, quòd ego vobis posui, vt exerceatis & probetis virtutem in vobis. Cum enim utilitatem mihi præstare non valeatis, debetis illam facere proximo. Hoc manifestat, quòd vos me habeatis per gratiam in animâ vestrâ. Quocirca mirum non est, quòd B. V. MARIA inter media, per quæ eam Deus cōseruauit, vt nec in tenerâ ætate peccato consentiret, hoc quoque recenseat, quòd serui sciendi Deum, perseuerauerit cum eâ. Tantam vim habuit, hic diuinæ gratiæ effectus, Et Mercurius Trimegistus, pietatem aiebat esse: Dei cognitionem: & Saluianus: Religio, est scientia Dei. Et quod omnibus

208.
1. 7. Seco. 1.
c. 4. & 6.

1. 6. reuel.
S. Brigit.
cap. 56.

1. 2. ad
Eccl. Ca-
tho.

Cap. 3.
pag 319.

c. 9. vitæ.

Cent. 1.

n. 32.

bus maius est, Spiritus sanctus per Isaiam ait: *Diuitia salutis, sapientia & scientia*: scilicet cognitio Dei; de hac enim, vt & de timore, S. Propheta ibi agit, eod quodd, vt bene dicit Abbas Charemon apud Cassianum: *Diuitia salutis nostrae, in verâ sapientia & scientia Dei consistunt*. S. Hieronymus: *noticia, inquit, vniuersus Dei, omnium virtutum possessio est*: scilicet causaliter, vt loquuntur Philosophi, eo modo, quo paulo ante explicui. Hoc paucis verbis explicauit acutè S. Ambrosius: *Sex ciuitatum refugia sunt, ita vt prima ciuitas, sit cognitio Verbi, & statim addens eius effectum, subdit: & ad imaginem eius forma viuendi. Quicumque fuerit eam cognitionem ingressus, tutus à penâ est, secundam quod & Dominus ait: Iam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis. Hac est autem vita aeterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Hec est igitur ciuitas, velut metropolis, cui adiacent aliae quinque ciuitates Leuitarum. Quas etiam, per cognitionem rerum ad Deum spectantium, mysticè statim explicans, ait: *Secunda ciuitas, est consideratio Diuina operationis, quâ creatus est mundus, quantum ex his bonis, quae sunt in constitutione istius creaturae, bonum illud summum atque aeternum comprehenditur. Etenim si parentes, quia nos genuerunt, amamus; quanto magis diligere debemus, creatorem parentum, auctoremq; nostrum? bona igitur & haec ciuitas ad refugium. Quia edificatoris sui testatur gratiam, & affectum nostrum excitat, vt eius simus cupidores, qui tantam nobis fabrica videatur contulisse pulchritudinem. Tertia ciuitas, est contemplatio potestatis regiae, & Maiestatis aeternae, vt subiciamur regi, si non deserimus tamquam parenti: metu enim praesidentis, plerumq; sit obediens potestati, qui est saluti ingratum. Quarta ciuitas, propitiationis Diuinae intuitus. Quinta ciuitas, legis diuinae contemplatio, quae praecipit, quid faciendum sit. Sexta ciuitas, portio legis quae praescribit, quid non faciendum sit, quibus charitas, integritas, humilitas vacillauerit, propria habeant refugia, & sperent, Dominum sibi reconciliare posse, si veniam petant (in quarta ciuitate) sperent se posse corrigi, si praecipia sequantur caelestium testamentorum, quibus aut informamur ad innocentiam (quod fit in quinta ciuitate) aut reuocamur à culpâ (quod est proprium sextae ciuitatis.) Haec igitur (scilicet tres vltimae) intra Iordanem ciuitates sequenda sunt, vt propitiemus nobis Deum, sequamur quae iubet, & vitemus quae prohibet.**

Et quod maius est, ob has utilitates, maioris cognitionis Dei, Apostolus eam commendat verbis amplissimis. *Non cessamus pro vobis, orantes, & postulantes, vt adimpleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia & intellectu spirituali. Cui vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati. Et, Flecto genua mea, ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis, &c. scire etiam supereminentem scientiam charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.*

Hæc Dei cognitio acquiritur, attentâ & profundâ meditatione quotidiana, colloctione verè spirituali, & lectione librorum spiritualium, affectui seruientium. Per hæc enim experientia docet, viuo quodammodo, & intimè cognosci.

Primo, Deum fore indicem nostrum rigidissimum, ex quâ cognitione nascitur, fuga peccatorum, & satisfactio pro peccatis commissis, ac proinde patientia in aduersis, per quam, omnium maximè, Deo satisfit pro peccatis, & per quam, acquiritur, vt homo quietissimè viuatur in Religione, & alibi.

Secundò, cognoscitur Dei erga nos beneficentia, orta ex eius infinitâ & absolutâ bonitate, ex quâ cognitio, oritur amor eius, & liberalitas erga eum declarabitur, indefessis laboribus, promptè & feruenter susceptis, tum impositis à Superioribus, tum sponte eum Superiorum approbatione electis.

Tertio, cognoscitur infinita excellentia perfectionum omnium infinitarum Dei, vnde proficiscitur, summa erga eum reuerentia, & cultus, ac feruor Seraphicus, ab omni natio liber, in actibus religionis, vt sunt, oratio, sacrificium, horarum canonicarum recitatio. Præterea ex hac cognitione infinitæ excellentiæ Dei, proficiscitur, purissima intentio in omnibus actionibus nostris, vt nil dicamus, nil faciamus, nisi purè propter solum Deum, excludendo à fine nostrarum actionum, & verborum, non tantum res malas (vti sunt vanitas, inordinatus appetitus laudis, bonæ opinionis, bonæ famæ, fauorum humanorum, promotionum ad honorifica) sed etiam res bonas, quæ aliâ expecti & queri possunt; (vti sunt, profectus in virtutibus, præmium caeleste.) Tanta est enim Dei excellentia, vt quamuis non esset cælum, nec vlla remuneratio diuina pro rectè factis, deberemus omnia facere propter solam infinitam Dei Maiestatem. Et hoc solum esset nobis instar sufficientis, imò nimis magni præmij. Nam vt scribit S. Dorotheus, nequaquam timore penæ, aut præmij cupiditate, viri sancti, voluntatem Dei faciunt, sed solo amore & beneuolentiâ.

Ex eadem cognitione Diuinæ Excellentiae oritur, insatiabile desiderium proficiendi in virtutibus. Cum enim iusti, proficendo in virtutibus, simul crescant in gratiâ sanctificante, & per hanc, ac cum hac fiant magis participes, seu, vt loquitur S. Petrus, *diuine consortes natura*, plus, vt ita loquar, de Deo ipso participant, ij, qui plus in virtutibus proficiunt, vt ex SS. Patribus bene & Theologicè probant inter alios nostri PP. Suárez, Vasquez, Lessius, & Cornelius à Lapide. Et hanc ob causam S. Dionysius Areopagita, proficientes in virtute, appellat, *Deiformes*, & S. Gregorius Nazianzenus, *desicantes se*; & S. Anastasius Synaita Patriarcha Antiochenus, tales ait fieri, quodammodo veluti Christos in diuinitate

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De sexto gradu profectus spiritualis, scilicet maiore Dei amore.

Sextus gradus est, Maior Dei amor.

AMoris diuini conditiones, effectus, & actus, & signa variis modis explicantur à Sanctis, quos in Opusculo, quod molior de actibus virtutum, explicabo: hic tamen aliqua commemorabo. Inprimis certissimum profectus in amore Dei signum est, si quis pro Deo, infatigabiliter sese impendat laboribus, à Superioribus suis, sibi præscriptis vel commendatis: quia vt scribit S. Gregorius: *signum amoris, non est in affectione animi, sed in studio bonæ operationis. Vnde & in Euangelio præmissi Dominus dicens: Qui habet mandata mea, & facit ea, hic est qui me diligit.* Hinc S. Bernardus excitans sororem, ad ostensionem veri erga Deum amoris, sic ei scripsit: *Rogo, vt amorem Christi, ostendas sociabus tuis, non solum verbis, sed & operibus bonis. Tunc verè Deum diligis, si pro amore illius bona, que potes operaris. Vnaquæque anima sancta, debet in se monstrare amorem Dei, & verbis sanctis & actionibus. Vnde in Canticu Canticorum, Sponsus, scilicet Christus, sponsam, id est, animam sanctam ornat dicens: Pone me vt signaculum super cor tuum, & super brachium tuum. In corde sunt cogitationes, in brachio operationes. Ergo, super cor & super brachium sponsa, dilectus in signaculum ponitur, quia in sancta anima, quantum ab eâ diligitur, & voluntate & actione designatur: quia amor Dei nunquam est otiosus. Si verè est amor, magna operatur; si verò non operatur, amor non est. Si verè Deum diligis, nullâ horè otiosa eris.*

Præterea signum profectus est, si quis Deo, ex amore eius, det id quod sibi est maximè charum. Cum enim S. Pater N. Ignatius, in contemplatione de amore, amorem dicat consistere in mutua facultatum, rerum & operum communicatione, puta scientia, diuitiarum, honoris & boni cuiusque, & ab operibus magis quàm à verbis pendere: & commune prouerbum sit, amicorum omnia esse communia: illudque etiam animæ Deum diligenti conueniat, iudicio S. Bernardi, ille se profecisse in amore Dei cognosceret, si paratus ex tertio anno exeat: ad Deo dandum, si non omnia, saltem id, quod maximè habet charum, siue non quærendo, nec optando, quod maximè desiderat amor eius proprius: siue acceptando, quicquid ipsi fuerit impositum à Superioribus, si id Superioribus visum fuerit, quoniam vt Christus docuit S. Brigitam: *perfecta charitas illa est ad Deum, quando homo, sibi de se nihil relinquit, sed ad omnem virtutem ac perfectionem se dilatat.* Non explico hoc exemplo villo, quilibet se introspiciat, inueniet enim, quo, si velit, suum erga Deum

Zzz 2 amo

7 hexa. S. Basil. h. 10. hexam. S. Ambr. de dign. eond. hu. c. 1. & 3. S. Hier. in cap. 23. Ezech. S. Chrysost. h. 9. in Gen. S. Damas. l. 2. de fide c. 12. S. Bern. ser. 1. de Annunt.

tate simul & humanitate. Cum enim Dei Excellentia infinita sit, & per profectum in virtutibus iusti Deo similes fiant, vt sancti Patres docent, tum aliàs, tum illa verba explicant Gen. 1. 26. *Facimus hominem ad imaginem & similitudinem nostram;* magnis passibus in cursu & profectu virtutum progrediendum est, vt quàm proximè accedamus ad Diuinam Excellentiam, cuius quàm simillimi, eius gratiæ beneficio redamur.

Ex eadem Diuinæ Excellentie infinitæ cognitione nascitur, indefessus amor crucis & illimitatum desiderium tolerandi quasi aduersitates & iniurias ac persecutiones, amor nostro proprio displicentes: & summa patientia ac mutum proflus silentium in illis, & maiorum ac maiorum desiderium. Cum enim Deus infinitus sit, quidquid pro eius amore hic pati possumus, est instar puncti mathematici respectu molis infinitæ. Ideo viri Dei, viâ cognitione Diuinæ Excellentie imbuti, quidquid pro Deo faciunt & patiuntur, tamquam nihilum & inane reputant, comparando cum infinita Excellentia & Maiestate Dei: præsertim cum ille nostrâ humanitate assumptâ, tam multa, nostri causâ, fecerit bona & passus sit indigna & iniuriosa: & vt ait Apostolus, *semetipsum exinanierit.*

Quarid, cognoscitur eius beatitudo, in cælis præparata, vt sit obiectum nostrum; vnde sequitur, contemptus omnium terrenorum, quæ amor proprius appetit, & multiplicatio meritorum, ad propagandam quàm maximè gloriam Dei, per actus heroicis, ac feruentis, & nunquam deficientes, sed semper crescentes, in omnimoda perfectione possibili, iuxta illud dictum S. Gregorij Nazianzeni: *nullum ascensus & Desificationis modum agnoscunt, scilicet perfectionis studiosi.* Ideo profectus in Dei practica cognitione, qualem descripsi, est maximum remedium ad perfectionem, & eius defectus est causa omnium imperfectionum & peccatorum. Ideo mirum non est, audiri solita à S. P. Ignatio dicente, (dum primo anno post suam conuersionem, in domo Ioannis Pasqualis, Barcinone ad Deum orans noctu, attolleretur in altum, splendoribus vndique circumfusus diuinis) hæc verba: *O Deus meus! Domine mihi amor cordis mei! si homines te nossent, nunquam te offenderent, sed amarent!* vt in Processu Minorcessano & Barcinonensi, plures testes iurati testantur. Cum autem solitudo tertij anni, multum conferat, ad hanc practicam Dei cognitionem maiore, vtendum est hac commoditate, quam Patribus Societas præbet. Quod enim S. Basilii libro de Laude vitæ solitariæ scriptum reliquit, etiâ huic tertij anni secessu valde conuenit. *Est enim vita hæc, celestis doctrinae schola, diuinarum artium disciplina: illic Deus totum est, quod discitur.*

Orat. 1. in Jul.

ser. 4.

ser. 6.

ser. 1. in Julian.

210.

1. 2. in r. Reg. 4. 10. 16. 21.

ser. 31. de modo bene viuendi.

4 heb. Exerc.

ser. 7. in Cant.

extra. 10. uel. c. 34.

amorem ostendat, nihil sibi de se, ex re aliqua carâ sibi, relinquendo Felix anima quæ ita se suis rebus spoliat pro Deo, nil ei negando quo ille delectetur. Speret, qui talis est, illam remunerationem, proportionem quadam, quam Deus Pater alloquens Deiparam coram S. Brigittâ sic expressit: *Quia tu mihi nihil negasti in terrâ, ided ego tibi nihil negabo in celo: voluntas tua complebitur. Sed etiam extra cælum, talis nostri expoliatio fit, sine vllâ boni nostri iacturâ, sed cum magno lucro, imò cum vero amore nostri. Quia ut ait S. Augustinus: Nescio quo inexplicabili modo, quisquis seipsum, non Deum amat, ipse se amat. Qui enim non potest viuere de se, moritur vti que amando se: cum verò ille diligitur, de quo viuatur, non se diligendo, magis diligit, qui propterea se non diligit, ut eum diligit, de quo viuatur. Porro quomodo per opera, se exercere debeat noster erga Deum amor, docuit S. Brigittam S. Petrus, vestiens in spiritum quandam militem, armis spiritualibus. Ego (inquit S. Petrus ad militem, audiente S. Brigittâ) qui graniter cecidi, sed fortiter surrexi, impetrabo tibi lorica, id est, diuinam charitatem: sicut enim lorica, ex multis constat ferreis circulis, sic charitas defendit contra tela inimici, & animae quietem reddit hominem, ad toleranda mala ingruentia: agiliorem efficit ad amorem Dei, & feruentiorem ad diuinos labores, inuictum in aduersitatibus, longanimum in spe, perseverantem in inceptis. Hec itaque lorica fulgere debet, ut aurum, fortis esse, ut chalybs, & ferrum. Quia omnis homo, charitatem habens, ductilis esse debet ut aurum, per patientiam contra omnes aduersitates, fulgensq; per sapientiam, & discretionem, ne heresim recipiat, pro integritate fidei, dubiaq; pro certis. Sit quoque lorica fortis, & ut ferrum domat omnia, sic homo utens charitate, studeat humiliare eos, qui resistunt fidei, & bonis moribus. Non retrocedat propter obloquutiones, non flectatur propter amicitias. Non tepeat, propter commoda sua temporalia. Non dissimulet propter quietem carnis. Non reuereatur propter mortem, quia nemo potest auferre vitam, nisi permittente Deo. Verum tamen quamuis lorica ex multis constet circulis, tamen duo sunt principales circuli, quibus lorica contextitur charitatis. Primus itaque circulus est, cognitio Dei, & frequens consideratio diuinorum beneficiorum, ac preceptorum, ut sciat homo, quid faciendum sit Deo, quid proximo, quid mundo. Secundus circulus, est refranatio propriæ voluntatis propter Deum; omnis quippe, qui Deum perfecte & integre diligit, nihil sibi de voluntate, quæ contra Deum est, reseruat. His similia tradidit S. Gregorius Papa: Qui perfecte Deo placere desiderat (quales sunt omnes ij, qui volunt perfecte erga Deum charitate feruere) sibi de se nihil relinquat.*

Alio modo Christus Dominus, hoc ipsum docuerat S. Brigittam: In diuinâ, inquit, charitate, sit quedam sollicitudo, ne Deus offendatur, sit charitativus timor, ne descedat ab eo, feruor etiam sit

igneus, quomodo Deus diligitur: & cura, quomodo imitetur: sit etiam dolor, eo quod non sufficit tantum facere sicut vellet, & sicut obligatum se intelligit. Humilitas quoque, quæ homo quod agit, nihil reputat, respectu peccatorum suorum. Talis charitas est veluti sera ostij, id est spei: quid enim prodest ostium habere sine serâ, id est spei, sine charitate: quæ arceat ingressum inimici in domum animæ. Clausus verò, quæ aperitur & clauditur sera, debet esse desiderium solius Dei, communiens cum diuinâ charitate, & diuino opere, ut scilicet, nihil velit habere homo, etiam si posset, nisi Deum, & hoc propter maximam charitatem eius. Hoc enim desiderium claudit Deum in animâ, & animam in Deo, quia vna vtriusque voluntas. Hanc verò clauem vxor & vir debent habere soli, id est, Deus & anima, ut quoties Deus ingredi voluerit, & delectari in nobis, scilicet anima virtutibus, liberum habeat accessum, per clauem stabilis desiderij. Quoties etiam anima ingredi voluerit in cor Dei, liberè possit, quia ipsa nil desiderat nisi Deum. Hac clauis, custoditur per animam vigilantiam, & humilitatis suæ custodiam, quæ Deo adscribit omne bonum, quod habet, & custoditur etiam per Dei potentiam & charitatem, ne anima à diabolo supplantetur. Qui ergo in his rebus se profecisse agnoscit, Deo agat gratias, pro profectu in amore Dei.

Alter S. Chrysostomus describit verum Deum^{ho. 4. h. Agn.} amorem: Anima celesti amore sublimis, ea quæ suauia sunt in hac vitâ, ita ridet & non sentit, sicut nos, vel ipsi mortui, corpora mortua. Tantum autem abest, ne ab affectione quapiam capiantur, quantum aurum, quod igne probatur, à maculâ abscedit. Hec omnia operatur amor hominis, si ingens fuerit. Simili modo, sed efficacius eundem effectum amoris erga Deum, Christus Dominus S. Brigittæ expressit. Cum enim promississet ei inflammationem cordis eius, à diuinâ dilectione, subdit, tanquam eius effectum: Sic anima tua implebitur à me, & ego ero in te, ita ut omnia temporalia tibi fiant amara, & omnis voluptas carnis, quasi venenum.

Sed & B. M. Magdalena de Pazzis pulcherrimè explicatum accepit diuinitus, cum his gradibus & modis, Diuinum amorem, in quibusdâ raptibus admirabilibus. Nâ ut scribitur à Patricino in eius vitâ, Seraphim, inquit, quatuor amoris communicant sponis Verbi.

Primus est vnicuique, qui cum magnâ velocitate eam vnit cum sponso, ac purificat certas maculas imperfectionum, quas habere possent sponse.

Secundus amor est communicatiuus, quem qui habet, non potest eum gustare, nisi videat eum gustari simul ab omnibus creaturis, & libenter se priuaret Deo, ut illum posset communicare cuilibet creaturæ, sicut eum gustauit Paulus, cum dixit, optabam anathema esse à Christo, pro fratribus.

Tertius est transformatiuus, qui facit, ut anima per participationem voluntatis & amoris, fiat quasi vnus quidam Deus: & hac transformatio, est quasi vinculum, quod vincit & ligat animam cum Deo.

Quar-

l. r. reuel.
cap. 2. 4.

tract. 12.
in Ioan.

l. 4. reu.
cap. 7. 4.

l. 10. mor.
cap. 4.

l. 2. c. 27.

Quartus est preseruatius, qui facit voluntatem operari sapienter & prudenter sapienter, quia facit ut operationes omnes fiant recta intentione, tantum ad honorandam Deum; prudenter, ut conseruentur omnes virtutes, quae producent in anima hos amores. Qui simul vnit in vnum, facient pretiosissimum annulum ad desponsandam sponsam. Eadem, ibidem in alio raptu, diuinitus intellexit, a Prophetis impetrari virginibus (Deo dicatis animabus) quatuor amores.

Primus, est otiosus, magna tamen operans. Est otiosus, quia contempletur Deum, & videt eius bonitatem summam, magnitudinem infinitam, sapientiam immensam & quod a creatura exigit perfectionem tantam. Estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est. Quae creatura videns, se esse vnum nihil, & quod non possit correspondere tante magnitudini, manet otiosa, considerando infinitas Dei perfectiones, & suam vilitatem, relinquendo, ut Deus omnia operetur, & sic in suo otio, operatur res magnas.

Secundus amor, est anxius, quem habens anima, continuo & anxio (italice spasmato, quali spasmitum adferente) desiderio desiderat, & ut omnes creature cognoscant Deum, & ipsa quoque, & ut Deus faciat se cognosci ab omnibus. Hic amor nondum est perfectus, quia habet in se desiderium: (sic ait & S. Bernardus, Suspectus est mihi amor, cui aliquid aliud adipiscendi spes suffragari videtur) infirmus est, quia forte spe subtrahitur, aut extinguitur, aut minuitur.

Tertius amor, est satiatius, qui Deo gaudet delectatur in Deo. Et hic amor non est perfectus, quia gustat, quod gustet Deum. (quae de re etiam S. Bernardus: Impurus est amor, qui & alia cupit. Purus amor mercenarius non est.)

Quartus amor est mortuus, qui non desiderat, non vult, non querit quicquam non cupit. Quia anima illum possidens, per mortuam relaxationem, quam suscitavit in Deo, non desiderat illum cognoscere, nec intelligere, nec gustare, nisi prout vult Deus, nil vult, nil scit, nil vult posse, & tantum se humiliat, si ei diceretur, quod sit Deus, quam si ei diceretur, quod sit demonium, & tantum se extollit, si ei diceretur, tu frueris paradiso, quam si diceretur, tu ibis in infernum. Quia poena ei poenam non apportat, & gloriam non querit, viuendo tanquam mortuus. Vt ego iam non ego; mortui sumus, & vita nostra abscondita est cum Christo, in Deo.

Qui amor, practice declaratur, in perfectissima conformitate cum diuina voluntate, quam illi habent, qui Dei precepta & consilia, sui status propria exequuntur: in aliis vero rebus, ad quarum executionem nullam adiguntur lege vel consuetudine, sunt plene resignati, & parati ad faciendam vel non faciendam ea omnia, quae agnoscant, vis in sancta Ecclesia vilitatis, placere vel non placere Deo. Quod ad eod in scitum esse debet rationali creaturae, ut Ethnici ipsi, id ei conuenire agnouerint. Hinc praclare Epictetus scriptum reliquit: Qui Deo sese adiunxerit, tunc

transiturus est huius vitae iter, latrociniis infestum. Quid vero est, quod appellas sese Deo adiungere? Ut quod ipse vult, ipse quoque velit: & quod nolit, ab eodem ipso abhorreat. Et alio in loco sic habet: ^{1.4.c.7.} Es quod accidit, semper acquiesco: melius enim est, quod vult Deus, quam quod ego volo. Adsum ei seruus & minister, adeoque pedisequus, ad eadem contendo, nec alia expeto: idemque, quod ipse, volo ego quoque & sentio. Et alibi hanc sibi optat cum diuina voluntate ^{1.3.c.5.} coniunctionem, de qua possit sibi sub mortis tempus gratulari: Vt, inquit, loqui cum Deo sic possim: Num tua precepta praetergressus sum? Num appetitionibus, quas a te habeo, ad alia obtinenda, sui usus vnum sensibus aliter? Num anticipatis notionebus Aliquando accusaui te, aut reprehendi tuam dispensationem? Aegrotauis, quando tibi visum fuit, sed & alij: at ego patienter. Inops factus sum, cum tu ita velles sed gaudebam. Non praesus gubernando, aut gestu magistratum, quia nolusti; ideo ne experiar quidem, nec vidisti hanc ob causam me tristorem, an occurreret tibi aliquando, parum leto vultu: semper paratus, si quid mihi manderis: si quid significes. Nunc ex conuentu illo, si vis me decedere, decedam. Gratias vero ago tibi, quod me tuum conuentum celebrare permiseris, atque inspicere opera tua: ac voluntati tuae, in omnibus obedientem feceris. O Vtinam haec cogitantem, haec scribentem, haec legentem mors opprimat. Sed ut hoc punctum concludam doctrinam, ex thesauro, quem Deus Societati dedit, per tot, quibus abundat, viros sanctos & doctos, petita, addam pios de amore Dei sensus, magni illius vitae spiritualis Magistri, P. Ludouici de Ponte, quos legi Romae, in eius vita manuscripta. In cuius vitae cap. 20. citatur memoriale quoddam P. Ludouici, de amore Dei, in quo (post mortem eius inuento) haec scripta reliquit.

Amor Dei, habet quatuor proprietates excellentes, quibus a falso distinguitur. Prima, est, amor verus, in se nitet amat, & plura estimat gloriam Dei, quam propriam, imò nec oculos habet ad videndam propriam, nec eam estimat.

Secunda est, Verus amor Dei, magis vult amare, quam cognoscere, & plura facit obedientiam, quam scientiam, & si querit scientiam, vel cognitionem, querit pure ut amet & obediat.

Tertia est, Verus amor, magis vult hic pati, quam gaudere; magis vult bibere calicem amaritudinis quam dulcedinis.

Quarta est, Verus amor Dei, magis vult dare, quam recipere, & si desiderat recipere dona Dei, est, ut illi deo Deo honorem & gloriam, & ut edat magis heroica obsequia.

Amor Dei, inclinat ad honores fugiendos, officia speciosa, personas a quibus honoraris & laudaris. Et qui sic amat, si contingat esse inter honores, manet tanquam inter spinas, sentiens puncturas: quod si eas non posset effugere, amor iste eum inclinat, ad contemnendum illos honores nec plura faciendos quam ventum: detegendo sua luce, nihil esse, quod mundus amat, & hono-

g. 6. dic.

ferm. 3. in Cant.

ferm. 3. in Cant.

l. 3. Enchir. c. 26.



honorat: & quod sit delectari vmbra, relicto corpore, vel imagine, relicta re representata. Qui amat Deum, manet inter honores & laudes, tanquam idolum, vel statua, cui deferrentur tales honores, quos tantum facit, quomodo saceret laudes auditas à Psitaco. Qui amat Deum, habet gloriam Dei, pro propria, adeò, vt nihil aliud reputet pro gloria sua, quam gloriam & honorem Dei. & si delectatur honore qui sibi à subditis deferretur, est, quia illo honoratur Deus, & ipsi proficiunt.

In quodam exercitio, detexit mihi Dominus, quomodo amor Dei, curet vigilantiam, & magnum desiderium mortificationis, vt eo vtiatur, ad executionem inclinationum amoris. Imaginabatur amorem instar fluminis, qui in riuos diuiditur, & suo impetu, vias sibi aperit, & obstacula perumpit, & facit canales, per quos currant inclinationes amoris.

Prima inclinatio amoris Dei est, destruere maiores Dei inimicos, quos habet, scilicet peccata, & satisfacere Deo pro illis, castigando suam voluntatem, sensus & carnem, tanquam auctores tanti mali dignissimos omni pena, & fugere in posterum talia, & ad hoc vititur mortificatione.

Secunda inclinatio amoris est, crescere in finem, desiderando magis ac magis, cognoscere, & amare suum Deum; idè rumpit obstacula, qua habet ad crescendo, scilicet affectiones terrenas, quia diminuit cupiditatem, est augmentum charitatis, & hoc facit per mortificationem.

Tertia inclinatio amoris est, recognoscere, cum debita gratitudine, auctorem sui esse, qui Deus est, qui nos creauit, sustentat, auget, perficit in finem beneficium, idè eò, desiderat illa facere obsequia, vsque ad sanguinis effusionem, quod facit abnegatione sui. Quid retribuam Domino, pro omnibus qua retribuit mihi, gratiam salutarem accipiam.

Quarta inclinatio amoris est, assimilare se amato, quia ita magis amabitur, & quia similitudo est causa amoris; Et quia vita Christi, tota fuit mortificatio in paupertate, contemptu, dolore, labore, idè mortificatio amat hec.

Quinta inclinatio amoris est, benefacere amato ab amato, qui sunt proximi, procurando lucrari eorum animas, ad augendum patrimonium amati; & seruendo illis corporaliter, quia in illis est suus dilectus, & hoc non potest prestare, quin perdat multa commoda sua, idè amat mortificationem.

Sexta inclinatio amoris perfecti est, desiderare conspectum sui dilecti, & gaudere eius presentia, & presumit duas res esse posse impedimento. Primo, non compleuisse numerum meritorum, quem Deus vult illam habere. Secundo, post completa merita, non satisfacisse pro penis peccato debitis; idè vt accederet primum, & auferat secundum, exercet se in abnegatione & mortificatione, quia scit eum, qui viuus & moritur in cruce, currere valde & volare sine impedimento ad gloriam; siquidem & bonus latro audiuit in cruce: Hodie mecum eris in Paradiso.

Septima inclinatio, & super omnes, est, implere voluntatem dilecti, anteponendo eam, omnibus suis vili-

ratibus & commodis, etiam visum Dei. Idè delectatur mortificatione propria voluntatis, & acceptat omnem abnegationem, quia ita vult eius dilectus.

Denique sicut homo satius cibum pretiosum, facilius alios, ita amor, solo Deo contentus, nihil facit omne creatum: & ita illi facilis est, omnis mortificatio, in non videndo eo, nec gustando, nec possidendo. Multoties ad hoc propositum, obtulit se mihi satietas, quam habuit Beatissima Virgo, tenendo suum Christum, quem possidendo, non sentiebat paupertatem, contemptum, & alia; sicut dicebat mater Tobie, omnia in te vno habentes, in Deo solo habeo omnia. Hi sunt optimi sensus huius sancti viri. Examinemus ergo nos, & si hæc in nobis reperiuntur signa, & effectus amoris, certum est, nos bene profecisse Dei auxilio. Porro B. Theodoretus in hist. Relig. ostendit amorem erga Deum, causam fuisse, quòd dectam sancti illi veteres, tam multa super vires naturæ sint passi ab imbribus, niubus, aestu, fame, siti, malo vestitu, durâ cubatione, vigiliis &c. Amor, inquit, in Deum effecit, vt nature terminos transirent, & supernâ flammâ accensi, libenter serrent impetum frigiditatis, & qui à superis descendit, totam flammam radiorum intingens. Qui eos alit, & rigat, & amicit, & dat pennas, & edocet volare, & efficit, vt calum transcendant, & eum qui amat, quoad eius fieri potest, ostendit, & visione contemplationis incendit desiderium, & excitat amatorum, & flammam accendit ardentem. Finiam hoc punctum ver-
bis Abbatis Sereni apud Cassianum: Dominum precemur, vt in nobis vel timor eius, vel charitas, qua cadere nescit, immobilis perseueret, qua nos & sapientes in omnibus faciat, & à diaboli telis protegat, semper illos. His etenim custodiis, impossibile est quempiam, laqueos eos incurere. Inter perfectos autem & imperfectos, ista disparitas est, quòd in illis quidem fixa, & (vt ita dicam) maturior charitas, tenacius perseuerans, firmius eos, ac facilius faciat in sanctitate durare: in his verò velut infirmis collocata, ac facilius refrigescens, citò ac sepius, eos peccatorum compellit laqueis implicari.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Quid prætereà in scholâ affectus acquirere debent PP. tertij anni; & alij viri spirituales in suo statu.

Quoniam à S. Ignatio, tertia probatio, vocatur scholâ affectus; illi se profecisse cognoscunt, in tertiâ probatione, qui in eâ acquiescunt maiorem affectum erga res spirituales, tum alias omnes, tum erga lectionem librorum spiritualium; nimirum, si tales libentius legunt libros, qui affectum excitant, quam eos, qui solâ curiositate intellectum pascent, sine motione piâ voluntatis, ad amorem alicuius boni in particulari, vel ad fugam peccati. Quod S. Bernardus de scientiâ acquirendâ docet, hoc etiam li-
bro-

brorum lectioni conuenit, vt id legatur prius, quod maturius ad salutem: vt id ardentius quod vehementius ad amorem; vt non ad inanem gloriam, curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad adificationem tuam vel proximi. Numquam credidillem; Ethnicos id affectuos, ductu innatae rationis, nisi id in eorum libris reperissem. Nam Plutarchus loco citato monet: *Anima duerte, non tantum Philosophorum scripta legendo, aut orationibus eorum audiendis, ne sis verbis magis quam rebus attentus, neque maiori impetu seraris ad ea, in quibus aliqua subtilitas, & curiosa compositio, quam ad ea, in quibus medulla & vilitas rerum inest.* Quod eò mirabilis est, cum statim etiam Plutarchus praescribat, affectu nostrorum componendorum, habendam rationem, etiam in lectione Poetarum, & historicorum, quae videtur omnium ineptissima ad hoc, ita tamen id suadet: *Poemata historiae, tractans, caue, ne quid eorum omittas inobseruatum, quae ad morum correctionem, aut affectus animi alleviationem, accommodatae dicta sunt.* Sicut enim in floribus versari, Simonides ait, *apem stauum mel meditantem, cum alij colorem eorum, vel odorem, nihil aliud querant, aut percipiant, ita alij. Poemata, voluptatis, iocis, causam versantibus, tu aliquid inueniens, aut colligens seruum, videbis iam consuetudine & amore pulchritudinis, & eorum, quae Philosophi sunt propria, horum cognoscendi facultatem tibi parasse.* Qui enim Platonis aut Xenophontis libros, propter dictionem, nullaque alia de causa legunt, quam vt Atticam illam munditiam, inter veluti rorem despument, quid aliud illos dices facere, quam fragrantiam, & floridum medicamenti colorem complecti: vim vero expurgandi corporis, aut sedandi doloris, neque nosse neque admittere.

Præter lectionem librorum spiritualium, affectui excitando seruientium, in hac schola affectus, acquirendus est etiam, affectus erga colloquia spiritualia, si libentius cum talibus conuersabuntur, qui loquuntur de rebus spiritualibus. Item si maiore affectu expedient, quam antea, res ad Dei cultum spectantes, vt sunt meditationes, examina, horæ canonicæ, Missæ sacrificium, & similia. Sed magis se in affectus scholæ profecisse cognoscent, si senserint in se tristitiam & dolorem, dum ob aliquod extrinsecum impedimentum, cogentur omittere consuetas spirituales occupationes, fouendo & augendo affectui seruientes. Agnouit hoc lumine naturæ affectui seruientes, in libro sapientis citato. Sicut, inquit, *signum est amoris incipientis, non delectatio, quæ pulchri presentia percipitur (hoc enim vulgare est) sed morsus & dolor, qui a uulso eo sentitur; ita multi capiuntur Philosophiae studio, & valde magno cum conatu se ad discendum conferre videntur: Vbi verò aliis rebus, aut negotiis auocantur, animi iste motus euanescit; eaq; facile carent. Amoris at morsum, qui verè senserit, si sibi praesens, vnaq; philosophans, moderatus videbitur ac placidus: a uulsum verò, ac scorsim agentem;*

cerneres inflammatum; animiq; egram, omniumq; rerum ac occupationum odio affectum, & tanquam frationis expers esset; amicorum oblitum, Philosophiae desiderio impelli. Non enim vt vnguento, sic doctrinam praesentes delectari debemus, absentes verò eam non requirere, neque cum molestia carere. Sed verè proficiens in Philosophia est, simile aliquid sibi ac sibi sentire, si auellatur, siue nuptia siue diuitia siue amicitia, siue expeditio incidens, cum Philosophiae studio se iungat. Quanto enim plus ex Philosophia perceptum est, tanto maiorem animi molestiam exhibent, qua relinquuntur.

Hæc de examinando profectu spirituali, & communi omnibus, & proprio Patrum tertij anni. Examinandi ergo sunt actus nostri, circa hæc, quæ dicta sunt, quot & quam heroicis quis actus edidit humilitatis, abnegationis, amoris sensualis, iudicij ac voluntatis propriae; quibus in rebus intus & extra, maiorem quam ante tertium annum, ostenderit Deo, sanctis, & fociis, & aliis, Dei cognitionem & amorem. Et rebus suis, ac Societatis expectationi confus-

lat: quæ, vt dicitur in Ordinatione pro Patribus tertij anni, ob hunc finem, hanc probationem inlucit, vt qui in ea versatur, in plenâ & absoluta sui ipsius abnegatione se exerceat, vt fiat homo in vitâ spirituali perfectus, idoneumq; Societatis instrumentum, ad animas Christo lucrificandas, euadat.

Quoniam autem ad idoneum Societatis instrumentum, præter doctrinam in scholis acquisitam, præter virtutem in omnibus Societatis Domiciliis partam, requiritur modus loquendi, præsertim in concionibus publicis, quibus Patres post finem tertij anni vacabunt, notent & hoc inter signa profectus in virtutibus, à Plutarcho poni: *Cum philosophans, inquit, à compositis ad ostentationem, & artificio nimio elaboratis orationibus, ad orationem, animi motus placidos, grauesq; attingentem, transferint, verè incipiunt, fastu repudiato, proficere.* Composita enim & imbuta vanis quibusdam lenocinijs verborum & gestuum oratio, neminem conuertet, aneret potius ab ipsâ auditione prudentiores. Imitandus est Apostolus qui dicit, se missam ad Euangelizandum, non in sapientia verbi, vt non euacuetur Crux Christi: Vbi S. Ambrosius inquit: *Predicatio Christiani, non indiget pompâ & cultu sermonis, ideoq; predicatores, homines imperiti, electi sunt, qui euangelizarent, vt doctrina veritas, se commendaret, teste virtute, ne hominum versutia, & calliditate humana sapientia, acceptabilis videretur, non veritate: sicut disciplina ab hominibus inuenta, in quibus non ratio, non virtus, sed verborum queritur compositio. Ac per hoc gloriam suam querit, qui fidem Christi verbis exornare vult; obscurat enim illam splendore verborum, vt non illa, sed ipse laudetur. Quod sine peccato non contingit: ideo à tali prædicationis modo abstinendum est.* ne, cap. 12. vt ait S. Gregorius, *ostentationis studio, verbum*

Dei loquimur: & eorum culpa qua est, esse non desinat, (sicut audientium concionem) & nostra, qua non eras, fiat. Sed potius sine affectatâ & vanâ sermonis specie, tribus hominum generibus, vti Christus Dominus per S. Brigitam monuit, succurratur.

l. 2. ren.
cap. 12.

214.

Primò, damnatis, secundò peccatoribus cadentibus, in peccata & resurgentibus, tertid, bonis stantibus. Damnatis quidem, vt leuius supplicium patiantur, eò quòd dum viuerent, per aliquem refrenati essent à malis aliquibus, & inuitati ad aliquod bonum. Cadentibus verò & resurgentibus, docendo eos, quomodo resurgant, & precautos faciendo, contra casum, & instruendo, quomodo proficiant, & cupiditatibus resistant. Bonis verò, iustis & perfectis, eos amplius excitando ad spiritualem laborem, & humilitatem, & vt eò feruentius proficiant, ad coronam gloriæ acquirendam: Verba enim Dei, ritè aliis prolata, docent timere rectè, diligere piè, desiderare caelestia sapienter.

Et ita concionando consequeretur talis, finem concionum nostrarum, qui debet esse extirpatio vitorum sæcularium, & insitio virtutum. Nobis conuenit illud dictum Tertulliani: Nos destinati à Deo ante mundum in estimatiōnem temporum, tanquam castigando & castrando, vt ita dixerim, seculo, erudimur à Domino. Quibus verbis videntur expressæ tertij anni occupationes, in quo diligenti culturâ instructoris (post diuina multiplicia auxilia) multis modis erudimur & erigimur, & vt loquitur Apostolus, *condiscamur in habitaculum Dei*: vt postquam in tertio anno, vt loquitur S. Hieronymus, *suerimus viui lapides, ex omni parte dolati, leues, politi, nullam habentes scabredinem* (immortificatorum affectuum interiorum & morum exteriorum inurbanorum) *discificamur in templum*, & *siemus habitaculum Deo*, condeturq; in nobis arca testamenti, *custos legis Domini*, & *Cherubim scientia multitudine* (acquisti in tertio anno tot exhortationibus, conferentis, lectionibus) vt interiora pectoris nostri, in nouum vocabulum transeant, dicamurq; (Hebraicè) *DEBITI*, id est *orasulum*, siue *responsorium*, & *locutorium Dei*. Sed vt hoc aliis sit vtile, tales ipsi simus, quales alios reddere volumus.

q 152. ad
Antioch.

Nam vt ait Athanasius: *Si quis aliquem oleo suis manibus vncturus, oleum non habeat, quomodo impertiet alius id quod non habet: Ad eundem modum, de iis, qui alios docent, est sentiendum: decet illos primum operari id quod docent, atque à Deo accipere bona gratiæ, ac proferre fructus Spiritus sancti, quos deinde in alios effundant.* Quod si quis nondum allecutus est, conetur allequi, hoc, quod superest, tempore. Et omnes Patres sibi dictum putent id, quod ante octingentos annos, in quodam sermone dixit domesticis Fratribus S. Theodorus Studita: *Haud contenti iis, que iam peperimus, quasi quodam iuuenili calore, alius nitamur, animorum tanquam sobole, instar aquilæ renouande, progressi semper, mastrig; qui virtutis atque eximij ascensus mo-*

ser. 68.

dum, arbitremur nullum, dum per mortem abierimus à temporanis ad aterna.

Eximus autem ascensus non per sola verba, sed maximè per rectè facta, & conuersationis sanctimoniam, demonstrandus est. Hoc etiam Epictetus, licet Ethnicus, suis præscripsit: *Ne verba ostendas imperitis, sed opera, que verborum concotionem sequuntur.* Nam & oues, non senum asserunt opilionibus, vt demonstrent, quantum comederint, sed passu intra se concocto, extra ferunt lanam & lac. Sic peracto tertio anno, si opera apparuerint sanctiora, & domi, & foris, signum erit, boni pastus habitus in tertio anno. Ex quo in alios, ea redandabit vtilitas, quam S. Gregorius Papa exigit à Sacerdotibus: *Vt quisquis Sacerdoti, ungitur, quasi è salis tactu, aterna viæ sapore condatur.*

In Ep.
c. 11. c. 14.

hom. 17.
in. L. 11.

CAPVT DECIMVMNONVM.

De medijs conducentibus ad magnum in spiritu profectum,

NON agam hîc de medijs merè diuinis, hoc est auxilijs, quorum (ex parte Dei) immediato beneficio sit magna in virtutibus progressio, & sine quibus, nullus vel tantillum in iis proficere potest: inter quæ media, præcipuum locum obtinent, auxilia præuenientis gratiæ, & alia, quæ benefica Dei manus, ante liberum consensum humanum, conferte consuevit: sed de diuino humanis tantum agam, quæ etiam nec adhibeantur, nec adhiberi possint, sine gratiæ diuinæ auxilijs; sine cooperatione tamen humana (diuinitus excitatâ & adiutâ) ex parte nostrâ, à Deo requisitâ non contingunt, & omnino à nobis, per gratiam Christi edoctis, & excitatis, & adiutis adhiberi debent, vt possimus cum Apostolo dicere: *Gratiæ in nobis vacua non fuit.* Inter hæc media primo loco pono, vltimum bonum Sacramentorum, præsertim SS. Eucharistiæ, per quam, vt docet S. Thomas: *perficitur spiritualis vita ad hoc, quòd homo in se ipso perfectus existat, per comunitionem ad Deum: Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant:* quod quibus modis præstet, demonstrauimus Opusculo toto, de efficacità Eucharistiæ, ad quod lectorem remitto. Hoc tamen loco dicam:

215.

1. p. q. 78.
a. 1. ad. 10.

Primò, plurimum conferre, ad fructum ex SS. Eucharistiæ susceptione, vberimum percipiendum, accedere ad illam cum bonâ præparatione: ob cuius defectum per illam non ita proficiunt vt possent. Hinc Christus Dominus de quodam dixit S. Brigittæ: *Quamuis me sumpsit continè, non tamen ex hoc multum meliorabatur, quia non se preparauit vt debuit.* Qualis autem præparatio esse debeat docet ibidem. Qui colligere vellet hospitem bonum & dominum, præpara-

l. 2. ren.
cap. 11.

rate

vare debet non tantum hospitium, sed & omnia vrensilia. Sic non fecit iste: quia etsi mandavit domum, non tamen scopavit eam reverenter ac diligenter: nec pavimentum stravit, virtutum floribus. Alias preparaciones, ipse Deus docuit duas magnas Sanctas. Inprimis S. Catharinam Senensem, cui hæc dixit: Si plurimi, inquit, portarent candelas ad accendendum: & vna ponderis esset vnius vicia, alia durum, siue sex, vel vnius libra, & quamvis omnibus accensis, in qualibet parva & magna, totum lumen accipias, videlicet, calorem, colorem, & ipsum lumen, iudicabis tamen, quod minus de lumine recipiat ille, qui candelam parvam accendit, quam ille qui maiorem. Ita contingit, in hoc venerabili Sacramento, de his, qui recipiunt illud, & eorum candelas afferunt: videlicet sanctum desiderium, cum quo recipiunt ipsum V. Sacramentum. Atque tantum accipiunt ex isto lumine, quantum de materia sincera dilectionis & amoris, & igniti desiderij portatis: quamvis totum in veritate recipiant. Tantum ergo percipit ex isto lumine, videlicet de gratia, quam in isto venerando Sacramento recipit, quantum vos, cum sancto desiderio dispositi ad recipiendum. B. M. Magdalena de Pazzis apud Puccinum in raptu, vidit, Ordines religiosos significatos, per multas semitas, ornatas arboribus & vitibus. Et in eis vidit aliquos Religiosos passim vites, & eos esse, qui magno cum furore & gustu sumunt Eucharistiam, & magnum inde fructum percipiunt; Alios vidit euellere vites, & eorum loco plantare spinas, & hos esse, qui communicant casu, cum exiguo, imò nullo gustu, & nullum fructum capiunt, quia Deus transiit per illos, & non subsistit in eis: idem tales in Religione non produciunt aliud, quam spinas peccatorum. De B. Catharina Genuensi, in eius vita scribitur: Exoptabat, inquit, vt sibi cum ingenti gustu & deuotione tres illas Missas, que in Natali Domini, ex more celebrantur Ecclesie, dicere liceret, adeoque non erant in hoc mundo, quorum conditioni inuideret, nisi Sacerdotum: eod quod possent hoc Sacramentum corde excipere, ac manibus tractare, sicut vellent. Quod supra altare in manibus Sacerdotum conspiciens, inira se dicebat: Ah, cito, cito, tranfmitte in intimum cordis mei, quoniam cibus ipseus est. Vix poterat tolerare, vt extra cor vel breuissimo spatio consisteret; ferme tabescebat, donec recepisset, vnumquemque putabat, ralem in se gustum & leuamen percipere, cuiusmodi ipsa.

Deinde hanc Deus Pater tradidit doctrinam B. M. Magdalene de Pazzis. Primò, inquit, sicut natura tua in meâ mente non habet principium, ita ad me accedas sine principio; scilicet non attribuendo operibus, que facis, preparando te ad communionem, aliquod principium ex te, quia ex te nihil boni facis, nec facere potes, nec quicquam boni habes & conuenientis ad me recipiendum. Et ita te humiliabis & aspirabis ad maiorem perfectionem, & petes, vt ego faciam dignam in te preparationem ad communionem. Secundo sicut natura tua in me est æterna, ita venire debes cum æternitate ad me: & quia in æternitate, nec est tempus presens, & futurum, nec corruptio vlla, de-

bes accedere nil presens vel futurum respiciendo, sed me solum, ne quidem vllam dulcedinem spectando, nisi in quantum venit ad me, & mee voluntati est conformis, & fugiendo omnem corruptionem peccati mortalis, & affectuum ad creaturas corruptibiles, quas ei dedi ad instructionem, vsu, & recreationem; in quibus sistere non debetis, nec finem in iis ponere. Tertio, accedite ad hoc Sacramentum cum puritate, quantum est possibile vestra fragilitati. Puritas enim, est imago esse mei: quam puritatem acquiretis, offerendo sanguinem meum. Ad eod autem esse debet pura anima, accedens ad hoc Sacramentum, cum intellectu puro, memoria pura, voluntate pura, intentione pura, affectu puro, vt etiam aspiratis ad puritatem Angelorum & creaturarum omnium, accedendo tantum, ob honorandum me, & ob gloriam meam, & ob nullum alium respectum, ne quidem ob sentiendam dulcedinem.

Secundò necessarium est, ad magnum pro spirituali profectu fructum ex SS. Eucharistia reportandum, diu post communionem, & cum magno affectu, cum Christo Domino morari. Recipere solum meum valet in cor, & loqui cum eo (dixit Deus Pater S. Brigittæ) si deuotio fuerit feruens & stabilis. Quà de re sic scribit S. Teresa in vita sua, monens tam diu post communionem orari, quam diu calor naturalis, species Eucharistie non consumpsit, & vt tunc cum solo Domino tractemus, non occupando nos circa alia: idque sic persuadere conatur: Si, inquit, dum eset in mundo, solo contactu eius vestes sanabant infirmos, vsque adeo, vt scriptum reliquerit S. Mathæus: Rogabant eum in terrâ Genesareth, vt vel sabbaticam vestimentis eius tangerent, & quicumque tetigerunt, facti sunt salui: non esse dubitandum, eundem Dominum, facturum miracula, dum intra nos est, si fidem viuam habebimus, & daturum, quod petemus, dum erit domi nostra. Non enim solet hæc Dei Maiestas male soluere pro hospitio: si bene recipiatur: nec ita venit absconditè, quàm se aliquantum detegat ei, qui se illum excipere: quia multos habet modos se ostendendi anime. Sed si subito post communionem, illum relinquimus; non habemus causam cur queramur, si paruum videamus anime nostræ in virtutibus progressum. Hæc illa in vita sua scripta reliquit. Deinde in alio libro, cui titulum indidit, Iter perfectionis, cum fusè commendasset, longiusculam, cum Christo in Eucharistia suscepto, commorationem, & improbasset eorum morem, qui Christi corpus intra se habentes, nondum per naturalem calorem consumptis speciebus, Christi imaginem aspiciunt (notate reflexionem & metaphysicam Sanctæ) Christo ipso intra se quasi relicto, tandem caput illud concludit, dicens eos qui citò se ad negotia protipiunt, ita facere, ac si Christo domum nostram ingresso, domo ipsi exirent, & vigerent: ne Christus domum eorum occupet & incolat. Sic & altera Societatis nostræ filia, ex illo sancto monasterio Florentino, Angelorum nuncupato, in quo P. Laynez, tempore S. Ignatij, quoti-

distal. c. 110.

4. part. vit. c. 13.

cap. 3.

217. 6 part. vit. cap. 3.

218.

219.

l. 2. red. cap. 3. c. 40.

c. 14. vlt.

cap. 3. 42

1. p. c. 65.

dianam communionem Monialibus introduxit, ad hæc tempora continuatam, B.M. Magdalena de Pazzis (sicut scribit Puccinus in eius vita) dicebat suis Nouitiabus, quarum erat Magistra: Si desideratis, breui peruenire ad magnam perfectionem, accipite pro Magistro vestro Crucifixum, attentas præbe aures eius verbis, quia perpetuo vos alloquitur in corde, maxime in illâ horâ, quando recepistis SS. Sacramentum. Idque à teneris annis dixit sibi valdè fuisse vtile. Vnde cum aliqua non communicaret, dum posset, ægrè ferebat, dicens, non esse efficacius medium, ad acquirendam perfectionem veram, hoc SS. Sacramento. Et si hoc bono vii sciretis, in paucis diebus replemini caelesti amore. Memineritis, Deum esse immensam charitatem, & ex amore se velle communicare animabus, beneficio huius amorosi cibi. Ideo magis opportunum tempus ad crescendo in perfectione vite spiritualis, dicebat esse illud post communionem. Quam ob causam volebat suas Nouitias, adeo citò post communionem, conferre se ad exercitia communia. Et post communionem, suadebat offerre Domino Deo, omnia opera & exercitia spiritualia illius diei, in preparationem cibi sacrati, die sequenti recipiendi.

c. 6. §. 2.
Pag. 74.

Credamus ergo his sanctis Virginibus, & exequamur earum monita; quibus addo domesticum, diuinitus communicatum nostro P. Balchafari Aluarez, teste P. Ludouico de Ponte in eius vita. Magni, inquit, semper faciat, qui communicat, tempus, quo diuina Maiestas cum ipso manserit: in quo potius attendat, vt diuinam presentiam veneretur; supplexq; oret, impertiri sibi diuinam eius benedictionem; sibiq; persuadeat, se dignum non esse, cui Deus faciem suam ostendat; quam vt prolixas rationationes ac meditationes instituat; & attendat, ne vel momentum amittat, tam felicitatis temporis, quo frui ac negotiari possit, cum diuinâ eius Maiestate, iuxta verbum illud Ecclesiastici: Non defrauderis à die bono, & particula boni doni, te non praterat. Hoc dico propterea, quia multis communicantibus, pruriunt pedes, vt inde discedant, sub prætextu lectionis colloquutionis, aut etiam deambulationis, quæ est phrenesis intolerabilis. Nam prolixiores orationes, præq; lectiones, quid aliud sunt, quam quidam clamores, quibus Dominum vocamus, vt ad nostram domum venire dignetur? quæ igitur stultitia est, vt post tot horas, imò etiam annos, quibus egimus pro tanto hoc favore; quando nobis illum exhibet, non possimus nos continere, quin statim, ex eadem nostrâ domo exeamus? quid nos possunt libri docere, quod non diuina Maiestas, melius præsens doceat? quem saporem & delectationem nobis creature adferre possunt, quam ipse non possit, plenius nobis conferre nosq; saturare? & quam sanctitatem ex earum conuersatione haurire possimus, quâ maiorem, non afferat nobis familiaritas cum ipso: quid boni lectio habet, nisi quod affectum nostrum erga ipsum Dominum excites? & quid spiritualia exercitia, nisi quod nos ad ipsum inclinent? Ad hoc autem, perpendi possunt sequentes veritates, in quibus anima cum Deo loquitur. Infirmus Domine, qui tecum non exhiberatur, Valdè prope est,

Eccl. 14.

vt cadat anima, quæ tecum non exultat? Vnde poterit exultare: qui tecum Domine non est contentus; quomodo non crepat? Qui in domo suâ non ostendit tibi promptam voluntatem; quomodo iterum tuum ad eandem aduentum expectabit? Qui dum te hospitem habet, properat, vt exeat ex domo; facildè ostendit, se cor habere a sibi obstrictum, cui tecum manere radium est: cum tu, ipsius honoris ergò, ad ipsum accesseris, Deus eius, & totum bonum eius: cum quo is omnia negotia sua feliciter expediat, non habet amplius quod agat, aut quarat: cumq; solius huius rei causâ natus sit in mundo, facildè ostendit se phrenesi laborare, si tecum non maneat libenter.

Hæc & similes sententias vir hic sanctus proponebat, cum ingenti sensu, ob tepiditatem eorum, qui Sacram faciant aut communicant, nec tempus sibi sumunt, in quo fruantur Domino, quem in domum receperunt. Hæc P. Ludouicus de Ponte annotauit, de suo sancto Instructore, quem in tertio probationis anno habuit, sanctus & ipse, dignusque tali Magistro discipulus.

Secundum medium est, studium accuratissimum puritatis conscientie, saltem quoad primos gradus puritatis, sitos in extirpatione peccatorum, declaratos à me in Opusculo primo, quod est de gradibus puritatis, Et hoc medium in executione, maxime omnium esse debet cordi, cupientibus proficere, propter causas, tum in huius Opusculi, tum in Opusculi primi initio commemoratas. Verissimum enim est, quod scriptum reliquit S. Theodorus Studita, Ambitiosus est vel maxime, Christus, animi à vitis purgati: nulla, re tantoperè deletatur, ac mente à vitis purâ. Et idèd, vt ait S. Chryostomus: Quando quis mundâ fuerit conscientia, & ab omni maculâ liberâ poterit Dominum vniuersi habere inhabitantem. Omnia autem venient, cum habitante, in mundâ animâ, Deo.

Tertium medium, & quidem summè efficax, est, assidua frequentatio actuum humilitatis & renuntiationis, quos tum in Opusculo de naturâ, & gradibus humilitatis, tum in Opusculo de renuntiationibus, recensui. Quidam Frater in vitis Patrum, interrogauit senem, quid est profectus hominis? & respondit ei senex: Profectus hominis est humilitas. Quantum enim quis ad humilitatem inclinatus fuerit, tantum eleuabitur ad profectum. Quod etiam supra dictum à S. Basilio re-
tuli. Inter actus autem humilitatis ad profectum in virtutibus conducentes, plurimum valet abnegatio propriæ voluntatis, quæ magnam vim habet ad progressum. Hinc Cassianus describens vias, per quas Paphnutius, ad altos ascendit gradus virtutum: Humilitatis, inquit, & obedientie disciplina; omnes suas mortificans voluntates, per hanc exinxiit vniuersa vitia, cumq; virtutes consummauit. Sic & S. P. N. Ignatius scriptum reliquit, rem esse summi momenti, & magno-
perè iuuare ad vita spiritualis profectum, omnino, & non ex parte abhorre ab omnibus, quæ mundâ a-

mas & amplectitur. & admittere, ac concupiscere totis viribus. quicquid Christus Dominus noster, amant & amplexus est. nimirum, contumelias, falsa testimonia. iniurias pati, ac stulti haberi & existimari. Taliū ergo efficac desiderium, tuat profectum.

322. Quartum medium, est actus aliquis heroicus, præsertim victoria sui, in vincenda exteriori aliquâ insigni resistentiâ ac repugnantia naturæ. Quod aliquibus profuisse, ad maximos; breui tempore, faciendos progressus, in eximiâ perfectione virtutum, demonstrari in Opusculo, de confusione nostri ob amorem Dei querendâ. Atque hoc ipsum suadet S. Macarius: Primum, inquit, decet quempiam accedentem ad Dominum, sic ad id quod bonum est cogere seipsum, etiamsi repugnet animus; sed ipsum compellere ad dilectionem, si dilectionem non habeat: compellere seipsum ad mansuetudinem; si mansuetudinem non habeat: compellere seipsum ad contemptum perferendum, & in eo cum animi magnitudine perdurandum, ita ut despectus & inhonoratus, non dedignetur, &c. Sic itaque Deus; conspecto eo, qui tantopere decernat, & qui repugnante animo seipsum vi adigit, &c. replet eum fructu Spiritus. Huc spectat secretum illud, quod commendat suis monialibus B. M. Magdalenâ de Pazzis, soli Deo notum, hoc est, aliquid hominibus occultum, continens valde heroicum, & insignem aliquem virtutis à Deo acceptæ actum, aut rem, coniunctam cum aliquâ magnâ mortificatione, vel passionum, vel sensuum, cunctis ignotâ. Tale est multiplex illud silentium, in accusationibus falsis; iniuriis, ac molestiis, à seruis Dei seruandum; quos explicauit in Opusculo de modis ferendæ Christi crucis. Huc spectant, parua ad speciem res, sed tamen ex ingenti affectu, propter Deum factæ, ob quas legitimus in historiis Ecclesiasticis, aliquos matrimonio iunctos, magnis sanctis dignitatis esse æquatos, vel antepositos. Deus enim, inquit S. Cyprianus, non de patrimonio, sed de animo opus examinat. Et affectus, ut ait S. Ambrosius, precium rebus imponit: & animi promptitudo, in rebus quantumuis minimis, uti scribit S. Basilius, accepta est Deo.

e. 1. 3. 4. hom. 19.

e. 16. Vit. Virgil.

cap. 6. Vitæ PP. lib. 2. c. 18. c. 63. & l. 3. n. 97. apud Rosney. l. de op. & elemos. l. 1. off. c. 30. In mor. reg. 37. cap. 1.

223.

224.

225.

praxi diuinæ præsentia. Vnde meritò S. Augustinus; inter alias utilitates gratiarum actionis recenset, Quid melius; & animo geramus; & ore promamus; & calamo exprimamus, quàm Deo gratias. Hoc nec dici breuius, nec audiri latius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Deo gratias, qui te iam fidei pedore distans. Quocirca ut monet Thomas de Kempis: Esto gratus pro minimo, & eris dignus maiora accipere. Sit tibi etiam minimum, pro maximo. & magis contemptibile pro speciali dono.

cap. 16. epist. 77.

l. 2. de lat. Ch. e. 10.

226.

l. 2. 2. mor. cap. 4.

l. de casto conu. c. 3.

ho. 4. in Gen.

Acta.

cap. 110. Dial.

l. 1. per. sect. c. 19.

l. 2. hist. Soc. 9.

4. p. c. 104.

5. 5.

Ottauum medium profectus, est, feruens & continuum desiderium proficiendi. Mens enim, ut inquit S. Gregorius, dum igne amoris excoquitur, semper in se seruat claritatem pulchritudinis quotidianâ inuolutione seruoris: nescit enim veterascere, qui semper per desiderium studet inchoare. Nec tantum hanc ob causam desiderium profectus auget profectum, sed etiam, quia, ut ait B. Laurentius Iustinianus: Desiderium vires auget, cor attollit, debilitat aduersarium, laborem temperat, exultat mentem, disponit ad gratiam, & Deo reddit amabilem: vis animi, amor est. Bene dixit per desiderium, animam disponi ad gratiam: quia, ut docet S. Chrysostomus: Is Domini nostri mos est, vt quoties videt animam aliquam multo desiderio, promptitudineq; inuolantâ spiritualibus insistentem; liberaliter illam gratiâ, & opulentis donis suis locupletet. Et hoc ita hanc ait alio in loco fuisse causam, quod non protinus aduenerit in Apostolos, Spiritus sanctus; sed octo vel nouem diebus post Christi ascensionem. Oportebat enim illos desiderio promissi teneri, atque ita donum accipere. Quod vsque adeo verum est, vt quamuis in SS. Eucharistiæ Sacramento, Deus ipse in suâ accipiatur substantiâ, & per hoc Sacramentum ex opere operato quoque dona gratiæ communicantibus dignè infundantur, tamen vt docuit S. Catharinam Senensem Deus Pater: Sicut plus accipit luminis qui cum maiore candela accedit ad eam accendendam, ita tantum ex Eucharistiâ fructum accipiunt, qui ad illam accedunt, quantum desiderij igniti adserunt, eam suscepturi. Quocirca meritò S. Teresia suis scriptum reliquit: De maioribus quas potest Deus conferre gratiâ, vna est, quod illam in hac sui (perfectionis scilicet desiderio ardenti) agere sinat, imò quod semper maiorem ad iterum bibendum de hac aquâ, sitim sentiat. Idem & noster Pater Petrus Faber inter monita Sodalitati Parmensi à se relicta, hoc quoque reliquit, ut scribit Orlandinus: Vbi Sacerdos Christi corpus rite consecerit, aut excitatum ab arâ sublimi, me, populo præmonstravit, tum vos (quod in summo numerandum est donis) petitis à Deo famem sitimq; iustitia. Mirum ergo non est, S. P. N. Ignatium ostendisse, etiam ad alia valde conferre vim sanctorum desideriorum. Idem enim Collegiorum nostrorum Rectoribus præscripsit, vt oratione & sanctis desideriis, totum Collegium velut humeris suis sustentent. Procurandum est ergo ardens perfectionis, per profectum spirituales, desiderium. Hoc autem diuinæ gratiæ benefici

cio,

cio, acquiri solet, per lectionem librorum spiritualium, per pia colloquia maxime autem per accuratas meditationes rerum diuinarum, praefertim vitae & passionis Christi, & per frequentes petitiones diuini auxilij. Nam, ut ait S. Augustinus episcopus, 121. cap. 8. ad Probam: *Vult Dominus exerceri in orationibus desiderium vestrum, quo possumus capere, quod parat dare. Plura de efficaciam desiderij proficiendi, inuenies in meo Opusculo de proprietatibus fidelium Dei seruorum, numer. 14. Porro desiderium proficiendi, efficacius est ad proficiendum in virtute, si sit coniunctum cum tali oratione, qualem Deus praescripsit S. Catharinae Senensis: *Non ueris, inquit, filia carissima, quod in oratione humiliter continas, & fidei cum uera perseverantia, lucratur anima perfectionem, & omnem virtutem. E contrario, qui non curat profectum, desicit: ut docet S. Dorotheus, & Cassianus, & alij uita spiritualis Magistri.**

227. *Nonum medium, est, continuum exercitium diuinae praesentiae, illis modis adhibitum, quos tradidi in Opusculo de praxi diuinae praesentiae: ubi citauit, praeter alios, B. Laurentium Iustinianum, dicentem: Nihil reor sic efficere ad internam adipiscendam munditiam, & ad uirtutis arcem conscendendam, &c. quem admodum cogitare, se ad stare ante oculos iudicis, cuncta cernentis. Verissimum est enim Spiritus sancti effatum: In conspectu eius sanctificabunt animas suas.*

228. *Decimum medium est exacta temporis custodia, quam in Opusculo de negotiatione caelesti explicauit, quae quidem assidua custodia temporis, non tantum ad profectum in uirtutibus conducit, dum tempus bene traducitur, sed etiam dum singulae actiones bene, non temere fiunt, sed certa quadam dispositione ac ordine. Quem tanti fecit magnus Dei seruus B. Laurentius Iustinianus, ut de uiris spiritualibus loquens scriptum reliquerit: Quoniam cuncta statim perficiunt temporibus, ideo perficiuntur: uitaque suam, sine radio deducunt, atque cum semper anhelu stant operandi desiderio, ad anteriora procedere satagunt.*

229. *Undecimum medium ad profectum, tradit S. Basiliscus: Debet unusquisque eorum, inquit, qui inferiores sunt, siquidem memorabilem uiam progressionem facere student, & ad perfectionem uia, quae praecipue Domini nostri Iesu Christi est consentanea, peruenire, tum nullum animi sui motum, apud seipsum celatum retinere, tum in sermone, nihil non diligentem ante cura consideratum proferre, sed mentis suae arcana aperire fratribus us, quibus datum illud negotium sit, ut adhibitis, facilitate & misericordia, egrotos sanent aut curent. Illa est Dei uoluntas, ut homines per homines adiuuentur. Et sicut fidem Deus uoluit ex auditu, ita & incrementum fidei & aliarum uirtutum, pendere uoluit ex doctrina aliorum. Quod praecclare olim ostendit Deus, sancto cuidam seni, ut scribitur in Prato Spiritu-*

tuali. Cum enim in Missa sacrificio deceptus ab haereticis, uelut simplex & rudis diuinarum dogmatum, diceret qua non decebant, secundum reuerentiam fidem, ignorans quod falleretur. Diaconus praesens, dixit ei: *Verba quae in offerendo dixisti, recte fidei non sunt, sed haereticorum. Senex autem confidens, quia uidebat angelos, dum offerbat, non intendit his, quae dicebantur a Diacono. sed contempsit: Diaconus autem persistebat dicens: Falleris Abba: non enim admittit fides Catholica ista, quae dicitur, neque mater Ecclesia. Cum autem uideret Diaconi constantiam in se arguendo, ait Angelus: Diaconus mihi haec & ista dicit, quomodo se habet ueritas: Dicunt ei Angeli: Ansculta ei, nam uera loquitur. Dixit autem eis Senex: Quare uos non dixistis mihi: Dixerunt autem Angeli: Dominus ita disposuit, ut homines ab hominibus dirigantur. Nec tantum dirigantur, sed etiam ualde, aliorum instructione proficiant. Hinc S. Ioannes Climacus, aliorum directione utentem, ad perfectionem fere ante peruenire, ait, quam uire ceperit. Quod etiam confirmat S. Vincentius. Munita enim & consilia & exhortationes quotidianae, & ipsa exempla maiorum, excitant ad consummationem uirtutis, & Deus humilitate hominis, se alterius directioni, quandoque iunioris ac minus experti & docti ac probi submittentis, mouetur ad copiosius communicanda ei sua dona: quia dixit, se dare humilibus gratiam, & exaltare humiles. Agnouit hoc & Seneca in uirtutibus moralibus & ciuilibus, uim magnam habere, quod pulcherrime, more suo explicat. Omnium honestarum rerum semina gerunt animi, quae admonitione excitantur: non aliter, quam scintilla statu leui adueta, ignem suum explicat: erigitur uirtus, cum tacta est & impulsu. Praeterea, quaedam sunt quidem in animo, sed parum prompta, quae incipiunt in expedito esse, cum dicta sunt, &c. Sed putemus non proficere, leges non ideo sequitur, ut ne monitiones quidem proficiant. Aut sic & consolationes nega proficere, dissuasionesq, & adhortationes, obiurgationes & laudationes. Omnia ista monitionum genera sunt: per ipsa ad profectum animi statum peruenitur.*

Duodecimum medium ordinarium & facilius aliiis est, praesertim pro tyronibus, assidua & feruens imploratio diuini auxilij, pro acquirendo magno in uirtutibus profectu. Nam ut ait S. Macarius: Si Christus Dominus, dum inter homines uersaretur, bonitate sua, fecit caecos uidere, curauit paraliticos, morbos omnes sanauit, mortuos in corruptionem uersos, & plene deletos suscitauit, surdos fecit audire, legionem demonum ab homine expulit, & eum, qui tanta infania laborabat, mentis compotem fecit, quanto magis animam ad ipsum conuersam, atque ab eo misericordiam implorantem, eiusq, indigentem auxilio, diriget, & ad letam affectionum uacuitatem, statumq, omnis uirtutis, & mentis renouationem reducet, sanitate reddita, mentisq, aspectu, ac cogitationum tranquillitate, traducens eam a caecitate, surditate, ac morte infidelitatis, ignorantiae, atque temeritatis ad statum uirtutis tranquillum, & puritatem cordis: *Si*

Si corporibus, qua dissoluuntur, & emoriuntur, tantam exhibuit misericordiam, & vnicuique quod postulabat, beneuolē & clementer indulfit: quanto magis anime immortalis, indissolubili & incorruptibili, laboranti morbo ignorantia, vitorum, infidelitatis, temeritatis, & reliquis peccati affectionibus, accedenti ad Dominum, & eius auxilium imploranti, qua misericordiam eius assente intuetur, & gratiam sancti Spiritus, ab eo accipere desiderat, in redemptionem & salutem suam, celerius & promptius concedet, liberationem ab omni vitio, vitiisque, affectionibus, velut medicam expurgationem. Neque tantum diuinę inuocacionis & orationis præsidio, vitia extirpantur, & passionum perturbaciones sedantur, (qui sunt primi profectus nostri gradus) sed virtutum ipsarum plenitudo, diuinitus acquiritur. Nam vt idem alio in loco S. Macarius scribit: Si quis in seculo valde locuples, secretum thesaurum possideat, ex eo, ac diuitiis, quas habet, quæcumque libuerit nanciscitur, & quascumq; voluerit in mundo possessiones, thesauro fretus, facile comparat; sic qui postulant à Deo, inueniunt ac obtinent thesaurum spiritus caelestem, nempe ipsum Dominum, in cordibus suis splendentem; omnem iustitiam virtutum, ac possessionem vniuersam probitatis preceptorum Domini, ex eo thesauro, qui in ipsis est, Christo, percipiunt, ac per eum, ampliores opes caelestes coaccernant. Nam beneficio thesauri caelestis, omnem iustitiam virtutum, opere complent, freti copia diuinarum spiritualium, que sunt apud eos: implentq; per facile iustitiam omnem ac præcepta Domini, per inuisibiles diuitias gratia, qua est in ipsis. Quicumque ergo, inquit idem S. Macarius alibi, desiderat fieri particeps gloria diuinę, & in principe animi sui facultate, tanquam in speculo, Christi formam (qua in eminentia virtutum sita est) intueri, debet insatiabili amore, atque inexplebili desiderio, ex toto corde & virtute, nocte ac die, implorare potentissimum Dei præsidium. Quod vt persuadeat magis S. Macarius in alia homilia sic suos excitat. Hoc scitote dilecti, virtutes omnes inter se colligatas esse: tanquam enim catena quedam spiritualis, vna dependet ab altera: precatio à dilectione, dilectio à gaudio, &c. Caput autem totius boni instituti ac vertex honestarum actionum, est perseuerare in oratione: cuius beneficio, reliquas etiam virtutes postulantes à Deo, quotidie obtinere possumus. Nam inde nascitur his qui digni habentur, communicatio diuinę sanctimonie, spiritualisq; energia & connexio affectionis animi per dilectionem arcanam cum Domino. Qui enim se compellit quotidie ad perseuerandum in oratione, à spirituali dilectione accenditur in amorem diuinum & desiderium ardens erga Deum, & gratiam perfectionis spiritus sanctificantis suscipit. Quod nostra oratio impetrabit à Deo facilis, si coniuncta fuerit cum inuocacione Beatissimę Virginis MARIE atque aliorum Sanctorum. Multum enim valet oratio iusti asidua, vt ait S. Iacobus Apostolus: præsertim eleuata spe firmã, quam Christi promissio excitat, pro nostro solatio, in Euangelio relicta: Omnia quacumque orantes petitis, credite quia accipietis,

& euenient vobis. Quidni omnia posibilia sunt, inquit S. Bernardus, inmerenti super eum, qui omnia potest: Omnia possum in eo, qui me confortat. Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes faciat omnes, qui in se sperant. Denique omnia posibilia sunt credenti. An non omnipotens, cui omnia posibilia sunt. Ideo Deus Pater dixit S. Catharinę Senenli: Noueris filia carissima, quod in oratione continuã, humili & fideli cum verã perseuerantiã, lucratur anima perfectionem & omnem virtutem. In quã, neminem posse proficere sine oratione, dicebat S. Thomas Aquinas, sicut nec militiam quemquam posse vacare sine gladio, vt in eius vitã scribit Ferdinandus de Castillo. Quod si accesserint Sanctorum efficaces ad Deum preces, ed facilius id assequemur, præsertim interuentu Dei Genitricis Marię: cui, audiente S. Brigittã, Deus aliquando dixit: Quia tu mihi nil negasti in terrã, ideo ego tibi nil negabo in celo: voluntas tua complebitur. Et aliã vice: Nulla erit petitio tua ad me, qua non exaudiat: & per te, omnes qui petunt misericordiam, cum voluntate emendandi, gratiam habebunt. Quia sicut calor procedit à sole, sic per te, omnis misericordia dabitur. Tu enim es quasi fons largissimus, de quo misericordia miseris fluit. Omnia quicumque inuocauerit nomen tuum, & spem habet in te, cum proposito emendandi commissa, ista tria, quibus indiget mundus, dabuntur ei: contritio pro peccatis, satisfactio, fortitudo ad faciendum bona: insuper & regnum caeleste. Quod vsque adeo verum est, vt ipsam salutem nostram ab oratione nostrã pendere scripserit S. Augustinus: Nullum, inquit credimus, nisi Deo inuitante ad salutem venire: nullum inuitatum, salutem suam, nisi auxiliante Deo operari: nullum nisi orantem, auxilium promereri. Vnde & Concilium Tridentinum ostendens orationis efficaciam ad impetranda ea quę nobis defunt ex doctrinã S. Augustini & aliorum Patrum docet: Deus impossibilia non inbet, sed iubendo monet, & facere quod possumus, & petere quod non possumus, & adiuuat vt possumus.

Ad hoc caput spectat, vsus meditationum, circa mysteria vitę Christi Domini, ad mores nostros, & omnem viuendi rationem, partim emendandam; partim perficiendam emendatam, institutus, iuxta præscriptum Sancti Ignacij, in libro eius Exercitiorum relicto. Oratio enim, vt ait S. Bernardus in scãla claustrali, est deuota cordis intentio ad Deum, pro amouendis malis & bonis adipiscendis. Sanè qui ordinarias & quotidianas meditationes, accuratè perficiunt: id quo semper, magnas breui tempore faciunt in stadiis virtutum progressiones, ad quas, in religiosis Ordinibus, præ meditationes dirigende sunt. Nam, vt ait Abbas Isaac apud Cassianum: Orationis principalis finis, vniuersarum virtutum molitione perficitur. Ad quod maximè conducit, illa orationis species, quę consideratio, seu meditatio appellatur. Meditatio enim, per considerationes practicas, diuinę gratię beneficio, tamquam

hom. 18. in.

hom. 25.

hom. 40. in.

Iacob. 5.

ad Marc. 11. 24.

ser. 8. in Cant. Philip. 4. Marc. 9.

Dial. c. 6.

1. par. Chron. 5. Dom.

1. 1. reuel. cap. 24.

1. 1. c. 50.

1. de Eccl. dogm.

1. 1. c. 6. c. 11.

231.

Coll. 9. cap. 1.



quam instrumentum eius, non remotum, sed vt S. P. N. Ignatius appellat, Deo coniunctum, vt scribit S. Bernardus, *mentem, de qua oritur, purificat: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat, agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente resideat incorrectum, aut correctione egeus.* Et, vt scribit B.

Laurentius Iustinianus, *Ab exterioribus cor amouet, & ad se redire compellit: ex ipsius assiduitate, stabiliscitur mens, cogitationes purgantur, castificantur sensus, illustratur ratio, loquela restringitur.* Quæ omnia sunt maxima profectus in virtutibus adiumenta, imò, ipsæ partes, & veluti membra profectus. Porro inter meditationes practicas, potissimum ad insignem & velocem profectum conducunt Exercitia spiritualia, per plures dies accuratè peracta. Expertus est hoc, inter alios viros eximios, S. Carolus Borromæus, qui & initia, & incrementa, admirandæ, & numeris omnibus absolutæ sanctitatis, hausit ex spiritualibus S. Ignatii Exercitiis, ideoque ea bis, quotannis iterabat, & instar Nouitij, in iis, ab ali-

quo è Societate, non tantùm quoad interiores motus animi, & exteriores actiones dirigi; sed etiam, ipsa meditationum puncta, ante quamlibet meditationis horam, sibi aliisque famulis suis in iis occupatis, tradi volebat. Quorum omnium iaculentissimus testis est, tum Carolus Episcopus Nauariensis, tum diligentior eius vitæ scriptor, Ioannes Petrus Glusianus, Patrius & Canonicus Mediolanensis, S. Caroli familiaris ac domesticus: in omnium copiosissimâ S. Caroli vitâ summâ fide ac diligentia, post canonizationem S. Caroli Italicè non semel edita: quam, vtinam ab aliquo Latinè redditam videremus. Vt meritò, primùm P. Claudius Aquaiuia, noster Generalis Præpositus, deinde sexta & septima Congregatio generalis, horum Exercitiorum stabilem quotannis, per octo vel decem dies vsum, grauibis Decretis, perpetuò ab omnibus nostris, nullo excepto, adhibendum statuerint: tanquam efficacissimum medium, ad incrementum virtutum. Ad quod, quibus modis tantoperè conducant, fusè explicabit in meis super Exercitia notis.

l. c. 8. 9.
20.

232.

hom. 9.

Decimumtertium medium, ad profectum in virtutibus, est, ordo rectus in eis acquirendis: qui tria requirit. Primò, vt eum magnâ applicatione animi, sine effusione ad alia, quærat profectus. Quia, vt docet S. Macarius: *Fieri non potest, vt quisquam possessionem animæ suæ comparet, aut charitatis Spiritus celestis, nisi ab alienatus ab omnibus, quæ pertinent ad hoc seculum, seipsum applicet ad inuestigandum charitatem Christi, mensq; segregetur ab omnibus crasis solitudinibus, & distractionibus terrenis, vt circa scopum vnum penitus incumbere possit. hæc dirigens ex omnium preceptorum ratione: vt tota cura, occupatio & studium, versetur in scrutandâ substantiâ intellectuâ, quomodo illam or-*

nari oporteat virtutum præceptis, & ornamento celestis spiritus, & communicatione puritatis, & sanctissimo Christi.

Secundò requiritur, ad ordinem rectum in profectu tenendum, vt progressio fiat, non à summis virtutum apicibus, sed ab infimis gradibus. Prius, vt monet S. Bernardus, *ad oscula pedum, tum ad manus, denique ad faciem eius accedamus.* Vnâqueque virtus, inquit S. Gregorius, *quasi quibusdam gradibus agitur, & sic per incrementa mentorum ad summa perducitur.* Aliud namque sunt virtutum exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Sed, vt ait S. Hieronymus, *ad summa non scandimus, nisi per ima gradiamur.* Et sicut paulatim homo à minimis virtutibus in maxima proruit, vt docet S. Ilidorus, *ita à modicis virtutibus, ad ea quæ sunt excelsa, contendit.* Sanè non proficeret in his puer, qui antequam sciret legere, & Grammaticam, vellet à Rhetoricâ, studia litterarum aggredi: idem in virtutum progressu ait contingere, Abbas Germanus apud Cassianum.

Tertio non purandum est, simul & semel, omnem virtutum perfectionem; nos posse assequi (excipio extraordinaria Dei priuilegia, qui vno momento, quosdam facit eximie perfectos) sed successiue, eo nitendum est. Nemo, inquit S. Bernardus, *repente fit summus; ascendendo, non volando apprehenditur summus scilicet. Nam Audi, vt ait S. Macarius, quemadmodum in vitro, imperfectus infans, nonquàm primùm concreuit in hominem (sicut creuit Christi corpusculum) sed paulatim formatur & gignitur: neque mox perfectus homo euadit, sed longo amorum successu augetur, & vir efficitur: estq; veluti semina tritici aut hordei, quæ terra mandata, non statim radicem producunt: sed vbi transeunt hiemes, & venit, tum opportuno tempore, spica nascuntur: videm, qui pirum plantat, non mox fructum percipit; eodem etiam modo, in rebus spiritualibus, vbi tanta sapientia & subtilitas est, paulatim augetur homo, euaditq; in virum perfectum. Et felix ille est, qui cum ætate crescit in bonitate, quod electorum proprium est, teste S. Gregorio Papa: *Electus, inquit, cum foris ætas corporis, intus, si dici liceat, crescit ætas virtutis.* Totum hoc sic explicat S. Dorotheus. *Si virtutem sibi quis parare velit, non ad diuersa animum distrahere debet, neque sublimia quadam, ac curiosa inutiliaq; rimari. Quemadmodum enim, qui fabrilem artem aliquando addiscere conatur, nequaquam animum suum, alicui arti, diuersè applicat, ita profectus, & qui spirituales operationem, & artem addiscere & exercere desiderat, faciendum sibi proponere debet, vt nulli scilicet alij rei, animum apponat, sed die ac nocte, studio sue professionis inuigilet, omnesq; cogitationes suas eò figat, donec ad eius possessionem, Deo adiuuante, tandem perueniat. Et hæc est causa, ob quam S. P. N. Ignatius, pro tyrocinijs nostri biennio, & postea, in tertio probationis anno, nostros noluit tractare studia litterarum, etiam Theologica, vt toti intenderent, exercitationibus virtu-**

Virtutum, & per eas, quasi per certos gradus & scalas, ad summa virtutum fastigia, peruenient.

235. Decimum quartum medium ad profectum, peti potest ex doctrinâ nostri P. Iacobi Laynez secundi Præpositi generalis, & vnus è ceterioribus S. Ignatij sociis, (cui dicebat tantum debere Societatem in Europâ, quantum Francisco Xauerio debebat in Indiis) Is profecturum multum aiebat eum, qui apud animum suum statueret, vel le quouis loco, quouis tempore, quicquid ageret, diceret, cogitaret, demum cunctis in rebus, maxime Deo placere: & huc studia sua conferret. Clara sunt verba, explicatione non indigent, sed executione. Porro S. P. N. Ignatius dum modum præscribit, quo nostri homines conseruandi sunt & iuuandi, vt proficiant in viâ Dei: & spiritibus & virtutibus, præter amorem & desiderium crucis, & fugam rerum à mundo amatum, de quâ suprâ dictum est, hæc quoque media proponit: & quidem hoc primo loco:

Quod inquit, ad animam attinet, cum tanti referat eos ab omnibus imperfectionibus, & quibus impedimentis, maioris spiritualis profectus remouere, multum ad id conseruat, omnem communicationem per verba & scripta, vt abiciant cum iis, qui in proposito sibi instituto, interprescendi causa esse possent: & vt in viâ spirituali incedendo, cum iis dumtaxat personis, & iis de rebus agant, quæ iuuent in diuino obsequio ad id consequendum, quod in ingressu Societatis, sibi vt scopum præfigebant: Nimirum, acquirendam perfectionis propriæ & alienæ studium.

Primum ergo medium ad profectum maiorem in virtutibus, post præmissam per Sacramenta titè suscepta mundationem animæ, suis filiis S. Pater proposuit, delectum conuersationis, vt ab eorum conuersatione se separent, à quibus se tepescere sentirent: & vt melioribus sese adiungant. Docet hoc quotidiana experientia, eam potissimum ob causam tepescere eos quoque, qui in suo tirocinio videbantur ardere; dum eo peracto, liberiorum conuersatione pascuntur. Nam vt ait S. Dorotheus; parum absynthij, amaritudinem suam, melli celerrimè imperit: cum contra mel, ne duplâ quidem parte copiosius, dulcedinem suam absynthio infundat. Hoc ipsum euenit in corruptelâ morum. Noxia sunt, inquit S. Ambrosius, conuersationes cum insipientibus, & insciant sobriam mentem ac decolorant. Quia sicut adbarens sancto, sanctus eris, ita cum peruerso, peruersus eris, sicut scriptum est. Frequenter enim accidit, vt quis contra propositum suum, imperantem audiens, (idem autem iudicium est de aliis defectibus) cum velit ipse continentiam discipline tenere, suo insipientia coloreretur. Ita insensibiliter quodammodo, boni deprauantur à malis vel imperfectis. Qui in solem venit, inquit Seneca, licet non in hoc venerit, colorabitur: qui in vnguentariâ tabernâ resederunt, & paulò diutius commorati sunt, odorem loci secum ferunt. Quod quidem celerius

in moribus accidit. Quia, vt ait S. Gregorius^{or. 20. de Nazianzenus, facilius est vitium contrahere, quàm virtutem impertiri: quemadmodum facilius est, morbo insci, quàm sanitatem largiri.} Hi sunt conuersationis incautæ effectus. Sumuntur, inquit Sc-^{1.3. de iranecca, à conuersantibus mores: & vt quadam in cont. cap. 8.} eos corporis vitia transflunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus, conuictores in amorem vini traxit: impudicorum cæcus, fortem quoque & filicem virum emollit: auaritia, in proximos virus suum transfudit. Eadem ex diuerso, ratio virtutum est, vt omne quod secum habent, mitigent: nec tam valetudini profuâ vilis regio, & salubrius calium, quàm animis parum firmis, in turbâ meliorum versari. Quæ res quantum posuit, intelliges si videris, feras quoque conuictu nostro manifestare: nulliq, immani bestie vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est. Retunditur omnis asperitas paulatimq, inter placida dediscitur. Quamuis autem non semper statim vitia aliena in socios transeant; pedetentim tamen infillantur. Conuictus delicatus, inquit Epist. 7. idem, paulatim eneruat & emollit: malignus comes, quamuis candido ac simplici, rubiginem suam affricuit. Cum his versare, qui te meliorem facturi sunt: illos admittes, quos tu potes facere meliores. Sed neque tuæ, vt tibi videtur, virtuti & constantiæ fidas, memor autem sis præclari moniti, dati à S. Bernardo, Eugenio Papæ: Non est tuta tibi tua bonitas: obfessa malis, non magis quàm sanitas vicino serpente. Non est quo te subducas, malo intestino, &c. Scorpioni non est in facie quod formides, sed cauda pungit. Si ad talium blanditiis cor tuum (vt affolet) molli senseris, memineris scriptum: Omnis homo primum bonum vinum ponit, cum autem inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Interius malum regant principia, posteriora prodant. Et quamuis nec in longiore conuersatione cum talibus, præderent se in fine mala consilia vel dictamina vel exempla nocitura, relinquit tamen talis conuictus, vt ait Seneca, semina in animo, sequiturq, nos etiam cum ab illis discesserimus resurrecturum postea malum. Merito ergo S. Ignatius delectum in conuersatione necessarium ad spiritualem profectum commendauit. Hanc ob causam in more habuit, etiam in conuictu bonorum, non cuius cum quouis, domi conuersationem permittere, sed vetabat nonnumquam cum certis et si religiosè viuentibus instituire colloquia, assignabat autem tales, qui magis essent idonei, ad socios magis in spiritu iuuandos, idque aliis Superioribus faciendum præscripsit.

Deinde S. Ignatius post enumeratas varias exercitatione religiosas, in quibus occupandi sunt domestici, & alia adiumenta, vt in virtutibus proficiant (vti sunt, diligens custodia sensuum, fuga otij, studium paupertatis & aliarum solidarum virtutum, examina quoridiana conscientiæ, manifestatio totius animæ suæ spirituali patri, vel Confessario, vel Superiori

facienda, tentationum detectio & victoria, & peritiam eis resistendi, mutua animorum concordia, sententiarum ac iudiciorum consensio, imitatio meliorum: tandem caput illud conclusurus, tria alia principaliora proponit ad profectum in spiritu media.

§. 22. Magnopere, inquit, conferat, deuste quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas & charitas.

Et in vniuersum loquendo; quando aliquis se arctius Deo adstrinxerit, & liberaliorem erga summam maiestatem se presertiterit, tunc eum in se liberaliorem etiam experietur: & ipse in dies magis idoneus erit ad gratias & dona spiritalia vbertiora recipienda. Deinde aliud subdit medium.

§. 23. Expediit in primis ad profectum, & valde necessarium est, vt omnes perfecta obedientia se dedant. Superiorem (quicumque ille sit) loco Christi D. N. agnoscetes, & internam reuerentiam & amore eum prosequentes: nec solum in executione externa eorum qua iniungit, integre, prompte, fortiter, & cum humilitate debita: sine excusationibus & obmurmurationibus obediatis, licet difficulta & secundum sensualitatem repugnancia iubeat: verum etiam conentur interioris resignationem & veram abnegationem propria voluntatis & iudicij habere, &c. Ideo S. Pater optabat suos in primis obedientia virtute prestantissimos esse (vt scribit in epistola de obedientia) tum ob alia eximia & singularia bona; tum quod (vt est apud S. Gregorium, quem ibi citat) obedientia sola virtus est, qua virtutes ceteras menti inserit insertaque, custodit: qua dum floruerit, florebit procul dubio reliqua, & fructus reddent amplissimos.

§. 2. l. 35. mor. cap. 10.

ser. Ang. cap. 12.

de arm. 5. & 7.

cap. 5.

Hæc S. Pater. Merito: per hanc enim virtutem obedientia, Beatissima Virgo Maria, vt S. Brigitta diuinitus reuelatum est, sanctum Spiritum ita sibi attraxit, quod per eam omnium gratiarum domus repleta fuit. Obedientia enim, vt scripsit B. Catharina Bononiensis, in libello cælitus inspirato: est magis meritoria quam vlla poenitentia, & Christo Domino animam similiorem facit, quam vlla virtus. Itaque qui vult erigere bonum adificium, accipias illam pro suo fundamento, & credat firmiter, se melius saluandum per illam, quam per vllam poenitentiam, ieiunium & quamuis contemplationem. Non est vlla rationalis creatura, ad eod exigui intellectus, qua non debeat cognoscere, veram Religiosam, non posse facere pro Domino suo rem maiorem, eiq; magis gratam, quam dare se totam pro eo, relinquendo proprium arbitrium: quia manifestum est, creaturam qua se submittit alius, pro amore sui Creatoris, rem facere maiorem, & plus mereri illa, qua ei seruit cum arbitrio proprio. Et, si Abraham fuit iustificatus, quia obediuit solum Deo, quanto magis iustificabitur illa creatura, qua pro amore Dei, submittit se ad obediendum serua ipsius Dei. Quæ in re notanda est etiam doctrina S. Irenæi relictæ in libro foundationum ab eâ scripto: Credo, inquit, demonem, qui videns nullam esse viam, qua hominem citius expeditus, ad summam perfectionem con-

ducatur, quam obedientiam, hinc tot fastidiosum, displicentiarum, ac difficultatum genera, ei in hac ipsa obituere, idq; sub boni alicuius pretextu. Hoc quoque encomio celebrat obedientiam S. Pachomius Abbas, qui vniuersos monachos promptos esse ad obediendum commonebat, vt hoc compendio facile perfectionis apprehenderent celsa fastigia. Qui ergo citò ad magnam perfectionem & expedite peruenire desiderat, in virtute obedientia, se quam maxime exerceat.

Valde salutaria sunt & illa media, quæ nos ter P. Alphonsus Rodriguez, proposuit in auro opere Exercitij perfectionis, dignissimo, quod ab omnibus perpetuo legatur, tanquam aptissimum, ad acquirendam vel confirmandam rerum spiritualium scientiam, & ad excitandos, ac fouendos, pios voluntatis affectus.

CAPVT VIGESIMVM.

De impedimentis spiritualis profectus.

Primum & fere maximum, in Dei seruis, impedimentum spiritualis profectus, sunt peccata venialia multa, deliberatè committi solita. Debet homo, inquit S. Thomas, habere propostum, se preparandi ad peccata venialia minuenda: alioquin, esset ei periculum, descendi, cum desereret appetitum proficiendi seu tollendi impedimenta spiritualis profectus; quæ sunt peccata venialia. Quod non de quibusuis peccatis venialibus intelligendum est (alioquin nullus sanctus proficeret in virtutibus, quia nullus sanctus est, qui interdum non peccet) sed de peccatis, dum committuntur multa, cum plena deliberatione, & commissa non curantur.

Porro, quibus modis, venialia peccata, profectum spirituale impediatis, leges in Opusculo meo de gradibus puritatis. Hoc loco satis erit intelligere, vnum è modis esse, quia vt loco citato ait S. Thomas, per peccatum veniale, retardatur affectus hominis ne promptè in Deum feratur: ac proinde in virtutes à Deo amatas, quarum participatio, intrinsecè adfert, ipsius Dei participationem, eò maiorem, quò maior est profectus. Merito ergo S. Anselmus monet: Si de virtute in virtutem & de profectu in profectum, vultis ascendere, semper timeate in singulis minimis, Deum offendere. Et S. Bernardus scribens ad Lotharium Imperatorem, Verendum est, inquit, ne minimorum neglectus, sit impedimentum maximum. Quod ad eod verum est, vt scripsit Ioannes Carpathiorum Episcopus, etiam parua tentationi indulgendo, impeditur in progressu, virtutis cupidus, sicut Echenis tantulus pisciculus, pregrandem onerariam, solo tactu sistit, eiusq; cursum penitus cohibet.

Secundum impedimentum profectus spiritualis est, priuata familiaritas, non fundata in virtute solâ, sed citra respectum virtutis, in ætate pari, vel

1. Tim. 2.

4.
2. Pet. 3.
9.
1. de disc.
& perf.
mon. c. 6.
ucr. c. 22.

1. Tim. 2.

4.

2. Pet. 3.

9.

Baf. c. 68.

mon. c.

20. & ser.

1. & 2. de

inst. mon.

& Or. 1. ex

congest.

& de ab-

dic.

Eph. 10.

2. in var.

doct.

c. 92. &

tr. de vit.

cap. 7.

Chryf.

ser. 2. in

2. Theff.

cap. 10.

Cal. coll.

16. c. 28.

Ber. in f.

de Affum.

Bon. de

lex aliis.

c. 3. & 7.

Dam. 3.

op. 7. p. 1.

fat.

Nigr. tr.

13. a. cer.

238.

Rib. 1. 1.

vit. c. 7. 9.

S. Teresa

in vit.

cap. 32.

ser. 6. de

alica.

vel in communione sanguinis, aut patriæ, vel in similitudine politiconum morum, vel in formâ & venustate corporis, & blanditiâ sermonis vel vocis. Quâ de re sic S. Dorotheus: Bonum est monacho proficere cupienti, non admodum affici erga coetaneum suum, solet enim huiusmodi consuetudo, & longa coetaneorum familiaritas, sicut & seruens animi propositum plerumque extinguere. Plura talium amicitiarum recenset damna, B. Laurentius Iustinianus, quæ directè opponuntur profectui spirituali, eumque penitus impediunt, & enervant. His enim amicitis irretitur sic describit: Patrum observationes frangit: monasterij institutiones non obseruat: silentia parui pendit, orationem postponit, cellule secretam quietem negligit: Et occupationes talis familiaritatis, ibidem has enumerat. Solent, inquit, conuersationibus familiaribus, nimiumque assiduis, nisi cautè agantur, intermisceri vaniloquia, scurrilitates, detractiones, & effrenati risus, per quos mens distrahitur, compunctio dissoluitur, & gratia subtrahitur, scilicet efficax, nam sufficiens nulli, etiam impio negatur à Deo, qui omnes vult saluos fieri, & nullum perire proximus malè adificatur. Hæc autem omnia, propria sunt eorum, qui nullam habent profectus spiritualis curam, & deficiunt in via & progressu virtutum. Non commemoro hic longè maiora mala, quæ adfert hæc damnata à sanctis familiaritas, per quæ non tantum ponuntur obstacula, progressui in virtutibus, sed ipsa Dei gratia, mater virtutum excluditur ignominiosè ex animâ. Quâ de re legi possunt, S. Basilius, S. Ephrem, & S. Chrysostomus & huius discipulus Cassianus, & S. Bernardus, & S. Bonaventura, & B. Petrus Damiani, & alij quos citat N. P. Nigronius, hoc ipsum disertè tractans. Quibus accedat experientia & testimonium, sanctissimæ Virginis, & sapientissimæ rerum spiritualium Magistræ, S. Teresiæ, quæ diu amicitis singularibus dedita, etsi essent ab omni impuritate alienissimæ, & à detractionibus, in tantum se coniecerat, non tantum recessum à profectu in virtutibus, sed & ad salutis periculum, vt Deo reuelante viderit, paratum sibi in inferno locum, si, (vt interpretatur P. Ribera eam defendens,) in iis familiaritatibus pertexisset, & ipsa de se scribit in vitâ suâ.

Tertium impedimentum profectus est vita dissoluta, & in perpetuâ negligentia traducta, & vt appellari solet, indisciplinata. Tales, S. Bernardus spiritualis gratiæ inopiâ ait laborare: sine gratiæ autem copiâ, quæ feruenter Deo seruientibus nunquam deest, nemo proficere potest. Quibus autem sese in rebus prodat vita dissoluta, & negligens ac indisciplinata, graphicè ibidem describit S. Bernardus. Inuenire est, inquit, in Congregationibus religiosi, homines remissos, deficientes sub onere, virgâ & calcariibus indigentes; quorum remissa latitudo, pusillanimitas tristitia est; quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio,

tepida conuersatio: quorum obedientia sine deuotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine adificatione, quos denique vix gehenna metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coërcet. Sæpe verò ne quidem coërcet. Et quidem non solum in essentialibus rebus, neglectus disciplina, profectum impedit, sed etiam in accidentalibus & externis. Hinc cum S. Bonaventura statuisset quædam, ad exteriorem disciplinam spectantia, subdit: Quamuis in his, non tanta vis salutis existat, quasi sine eis non sit salus; tamen transgressio eorum, deformat Religionis decorum, & profectum spiritualem, & aliorum adificationem solet impedire.

Quartum impedimentum, est, consuetudo aliorum facta, dicta, iudicandi, & condemnandi, non quod hoc vitium: quod potest, & solet esse peccatum veniale, non semper mortale, per se impediatur profectum, sed quia etiam intra fines, peccati solius venialis existens, valde displicet Deo, (qui sibi soli reservauit aliorum iudicia) & ita impedit, ne Deus conferat illa efficacia gratiæ auxilia, per quæ homines euehit citò ad eximiam sanctitatem. Hanc doctrinam, S. Catharina Senensis, motiens suis testamento legauit, teste B. Raymundo in eius vitâ: monens, ne quem vnquam iudicarent. Et dixit esse necessarium, ad acquirendam veram puritatem mentis (quæ intrinsecè includitur, in magno profectu in virtutibus) custodire nos ab omni, (non ait, tantum temerario, sed ab omni) iudicio proximi, & à sermone quouis, de factis proximi: & vt in omnibus, Dei voluntati attenderetur, qui omnia permittit ad bonum finem. Vnde cum multâ efficaciam, tanquam certa de hac veritate, constanter affirmabat, non debere hominem vllam ob causam, quemquam iudicare, id est contemnere, vel condemnare, quamuis oculis cernebat manifestum peccatum: quandoquidem talem Deus non reicit, neque condemnat, imò proprium sanguinem dedit pro illo. Et solebat ore Dei, adiungere hæc verba: Multos ob id non seruatum, esse impeditos à vite perfectione, quam acquisissent, tanquam veri sancti Dei, ob excellentiam operum. Mirum ergo non est, quod eadem Sancta, legitur petisse à Deo, vt iudicaret quodlibet iudicium falsum erga creaturas, & præcipue erga seruos tuos: eò quod mibi videatur, huiusmodi iudicium, esse causa, vt anima fiat à te remota. Quem autem Deus remouet à se, quamdiu in tali statu est, non proficiet in virtutibus, & in mentis puritate, sine quâ nequit spiritualis profectus consistere, & ad quam consequendam, tota virtutum series collimat, præsertim, cum, vt dicebat, B. Catharina Bononiensis; (quem admodum in eius vitâ scribit noster P. Iacobus Grassettus) puritas mentis, peculiariter consistat, in sentiendo semper bene de omnibus, & in interpretando semper in bonam partem, quamlibet actionem proximorum: nolendo, ne quidem cogitationem maculare, admissâ ad eam secundâ cogitatione circa opera aliorum. Estque adeo magnum impedimentum profectus.

- hom. 7. ctus, consuetudo condemnandi alios, vt S. Macarius scriptum reliquerit, viam ordinariam excidendi ex Dei gratiâ, esse, cogitationes, quibus incipit homo extolli, & seipsum iustum reputando. condemnare alium, ac dicere, tu peccator es. Ideo sancti eximij, erant alienissimi, à censurandis aliorum intentionibus, dictis & factis, & omnia benè interpretabantur. Quod quidem nostro S. P. Ignatio aded inlitum fuit, vt ob consuetudi-

nem perpetuam neminem iudicandi, sed benè interpretandi omnia, natum Domi nostræ pro- uerbum fuerit: *Interpretationes Patris*: quemad- modum de eo scribit P. Ludouicus Consaluus. Multa nobis videntur malè dicta vel facta, quæ sunt sæpe Deo valde accepta, & à Spiritu sancto etiam in S. Scripturâ, ad exemplum relicta: vti ostendi in Opusculo de vitandis temerariis iudiciis.

